


FABRONI

PETRARCHAE

VITA












FRANCISCI PETRARCHAE VITA

AVCTORE

ANGELO FABRONIO.

PARMAE



IN AEDIBVS PALATINIS

MDCCIC

PRAEFATIO

Non dubito fore plerosque, qui iudicabunt me actum agere, quod veteri proverbio vetamur, idcirco quia de vita, scriptis, rebusque gestis Francisci Petrarchae scribendum susceperim. Nam multi nostra, patrum, maiorumque memoria (triginta fere numerantur) extitere, qui in hac re operam posuerunt, ut cumulate tanti viri studiosis satis-

fecisse videantur. Quid praetermisit, ut de veteribus sileam, in illius vita declaranda Gallicus scriptor Sadius? Quid non praedicavit de laudibus eiusdem Hieronymus Tiraboschius, qui unum se praesertim admirari et amare Petrarcham gloriabatur? Quid ante eos non praestitit Ludovicus Muratorius, ut superaret quotquot in hoc stadio cucurrerant? Cui labori pepercit iuvenis sane ornatissimus Io: Baptista Baldellius Stephanianus Eques, ut nova afferret, aliorum emendaret errores, et eloquentiae luminibus laudes, si fieri potuisset, summi poetae et phi-

losophi aequaret? Horum scripta tanti sane sunt facienda, ut e segete ad spicilegium ne quidem stipula relicta esse videatur. Hos tamen si audis, ceteros, qui ante eos scripserunt, multa peccasse existimabis, et, iudice Tiraboschio, Sadius ipse, qui in tota vita id unum molitus est, ut copiosissime, tribus editis voluminibus, vita Petrarchae declararetur, novaque luce illustraretur, non semper sibi constare, non recte de Italis scriptoribus iudicare, in multos ipse errores, dum alienos emendat, labi videtur. Severius quoque de Muratorio pronunciatum est, quasi

iam inter omnes constare debeat, quod susceperat munus pro sui nominis fama ipsum minime explevisse. Latissime patere videntur ea quae sunt tradita a Tiraboschio, qui quidem accurate copioseque probavit, non in luce modo atque oculis totius fere Europae, sed intus domique magnum fuisse virum Petrarcham, ac summis laboribus, ipsaque, qua fruebatur, prudentiae fama effecisse, ut humaniores litterae, gravioresque disciplinae ad novam, ut ita dicam, vitam revocarentur. Sunt in manibus illius Latinae epistolae, in quibus imaginem eiusdem vitae ac tempo-

rum, quibus vixit, intueri licet, quas cum legimus, quem non contemnimus philosophum? Quae praecepta ad vitam remque publicam bene ac sapienter gubernandam? quanta notitia antiquitatis? quae scientia iuris naturalis ac divini? quanta vis rationis ad errores et fallacias, quibus illa aetas cumulata erat, noscendas, ad futura praevidenda, et ad verum inveniendum? Quare minime est mirandum, si tum cupide adeo eius sermonibus fruebantur omnes homines, quasi iam divinarent id quod evenit, illo extincto, unde discerent, fore neminem. Multum itaque iis debemus, qui

de iisdem epistolis colligendis atque in lucem edendis adlaborarunt, sed quia non satis diligentiae in omnibus, quae extant, inveniendis, inventisque emendate exscribendis, recteque ordinandis adhibuerunt, id se praestiturum spopondit Baldellius, postquam ei sic favit fortuna, ut in manibus haberet quotquot diu nimis delituere in bibliothecis Parisinis, Florentinis, Romanis atque Venetis. Hac mente pro iure veteris amicitiae exigere a me posse putavit, ut Petrarchae vitam Latinis litteris mandarem, quam eiusdem epistolarum editioni praeponeret. Id eo libentius

feci, quod si perpaucos excipias (quam eleganter et quam vere tu ipse iudicaveris), ceteri, qui illius res gestas historiae monumentis consignarunt, usi sunt patria lingua, in quo non satis consuluisse videntur communi utilitati. Nam ad laudem litterarum permagni interest, ut omnes nationes intelligant quot et quanta pro iis gesserit Petrarcha, et quanta, si gratae esse volunt, ab eodem acceperint adiumenta ad ipsas litteras colendas. Haec valitura puto ad me excusandum, quod tritam a tot doctissimis hominibus viam sim ingressus, in qua si rerum delectu, ordine, La-

tini sermonis elegantia vel minimum progressus esse iudicabor, me profecto industriae meae, et in amicum indulgentiae non poenitebit.

I.

Dum Etruria et Respublica praesertim Florentina perturbatae erant factionibus, quae Alborum et Nigrorum dicebantur, Aretii natus est Franciscus Petrarcha (1) XIII Kal. Sext. an. MCCCIV, quam in urbem eius pater Petrus, vel ut appellabatur Petraccus, cum Electa Canigiania coniuge carissima exilii caussa (nam partes Alborum, quorum tum res inclinatae erant, sequebatur) Florentia concesserat. Huius calamitatis plures alios socios ha-

(1) Tanto matris, *ait ipse*, (Praef. epist. familiar.) tantoque discrimine, ut non obstetricum modo, sed medicorum iudicio diu exanimis haberetur.

buit, atque in his Dantem Alighierium, quocum summa familiaritate ob morum, ingenii et studiorum similitudinem quamdam coniungebatur. Is tabellionis, seu, ut loquimur, Notarii artem, quae tum erat honoratissima, exercebat, et scribae munere eo in magistratu, cui nomen erat Reformationum, fungebatur, honeste quidem et fideliter, quod has virtutes hereditate a maioribus acceperat, qui ab Incisa (hoc oppidulo nomen, quòd Florentia XIV millibus passuum distat) hanc in urbem habitatum venerant. Cum de his sermonem haberet Franciscus, gloriari videbatur, *quod avus et proavus ceterique maiores sui non tam fumosis imaginibus, quam clara fide conspicui longa serie in ipsa urbe* (Florentia) *consenuissent*. Idem testatur proavum suum, cui Garzi nomen erat, litterarum licet expertem, maxima ingenii facultate praeditum fuisse, addere et poterat tanta bonitate morum, fide ac prudentia, ut eius arbitrio plures tum publicae, tum privatae controversiae diremptae, et

gravissimi momenti negotia administrata fuerint. Mens, ratio et consilium minime illum deseruit vel in decrepita aetate, mortemque sic obivit, cum esset annorum quatuor supra centum, ut cum excessisset e vita, tum denique se victurum arbitraretur. Quae moriens somnum capienti similis dixit, ut filium nomine Parentium, qui Guidiis Comitibus multorum oppidorum dominis, Regianopoli Cancellarii munus exercens, operam suam praestabat, et nepotes ad Dei cultum, et ad virtutum studium magis magisque inflammaret, commemoravit Franciscus ipse, qui tanti viri memoriam pie inviolateque semper servavit, quique nunquam oblivisci potuit flagitiosam et perditam civium suorum libidinem, quod desertae fidei patrem accusassent, et centum librarum mulcta, et dexterae manus abscissione damnassent, si in eorum potestatem venisset, quasi degenerasset adeo ab avi virtute, ut cum probro privato coniungeret publici muneris dedecus. Dum hic erat Aretii, ab exilii sociis

legatus fuit ad Cardinalem Pratensem, quem Romanus Pontifex Florentiam mittebat, ut videret, si quo modo res ad concordiam deduci possent. Idem, quo solutius viveret, coniugem cum liberis (tres enim, dum in exilio fuit, suscepit masculini generis [1], quorum maior natu erat Franciscus, unicam feminini, quam Ioanni Iani F. de Summefonte nuptum dedit) in oppido Incisae habitare iussit [2], ut vero iis adiumenta pararet ad vitam vel modice sustentandam (nam quaesito illi opus erat) experiri voluit num in remotioribus terris prosperiorem invenisset fortunam. Erat profecto Patavii an. MCCCVI; scimus quoque ipsum habitasse Pisis cum coniuge et Francisco filio eo tempore, quo in Italiam advenit Henricus VII Caesar, qui in multis spem excitavit fore, ut per eum aut

---

(1) Duos mihi fratres genetrix mea pepererat .... primum mors infantem tulit. *Famil. lib. IX. ep.* 2.

(2) Primum illum vitae annum, neque integrum Aretii egi, sequentem Ancisae paterno in rure supra Florentiam XIV passuum millibus. *Epist. ad posterit.*

factiones extinguerentur, aut adversae opprimerentur. Neque multo post exilii poena liberatus fuit, invitatusque ab amicis et propinquis, ut in patriam rediret. Sed huic Avenionem antetulit, quod civilibus fluctibus se committere amplius nolebat, cum non magis eos in sua potestate existimaret esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis iactarentur; quod de fide et constantia suorum civium diffidebat; quodque ea sperabat a Romanis Pontificibus, qui ea in urbe sedem posuerant, quae frustra ab aliis quaesierat: nam apud eos pacem, et quae pacis comites sunt, liberales artes et ingenuas disciplinas habitare putabat. Sed brevi vidit inanes esse spes cogitationesque suas; quare sedere iussit in vicina et ab omni strepitu remota urbe Carpentoracte coniugem et liberos, quo in loco Franciscus a Convennevolo Pratensi grammaticae, rhetoricae et dialecticae rudimenta accepit. Bonus is habebatur magister, nullius vero pretii scriptor; quare Petrarcha illum coti compa-

rare solebat, quae ferrum novit acuere, non secare. (1)

II.

Vel ex eo tempore cognosci potuit quanta in Francisco esset virtutis indoles, et quam eximium ingenium, quare Petraccus se ei et familiae bene consulere iudicavit, si ipsum coegisset omnium quaestuosissimae facultati, iuris prudentiae videlicet, totum se dedere. Itaque postquam quadriennium Carpentoracte fuerat, quadriennium alterum eius studii caussa in monte Pessulano, et Bononiae, cuius urbis lyceo nullum tum erat illustrius (2), triennium

---

(1) *Sen. l. XV. ep. 1.*

(2) *Vel Parisino, quanquam ad hoc ex omni regione concurreretur, praeferebatur.* Parisii civitas bona quidem (*ait Petrarcha*) et insignis Regia praesentia; quod ad studium attinet, ceu ruralis est calathus, quo poma undique peregrina et nobilia deferantur. Ex quo enim studium illud, ut legitur, ab Alcuino praeceptore Caroli Regis institutum est, nunquam, quod audierim, Parisiensis quisquam ibi vir clarus fuit, sed qui fuerunt externi utique, et nisi odium barbari oculos per-

consumpsit. Prorsus taedebat ipsum amissi temporis in danda opera disciplinae contentionis magis, quam veritatis magistrae, utque taedium levaret, saepe in manus sumebat probatissimos Latinos scriptores, quam ob rem a patre acerbe reprehensus fuit, vix ut illi concederet in Virgilii et Ciceronis lectione, veluti in peropportuno diversorio, interdum conquiescere. Vigesimum secundum aetatis annum agebat, eratque Bononiae cum Gherardo fratre, quando Petraccus e vita migravit, cum es-

stringeret, magna ex parte Itali fuere, Petrus Lombardus Novariensis, . . . Thomas de Aquino, Bonaventura de Balneo, atque Aegidius Romanus, multique alii. *Apologia contra Galli calumnias. Bononiae praeter ceteros magistros Petrarcham audivisse putat Sadius Cinum Pistoriensem, et Franciscum Asculanum; ab iisque non tam graviorum disciplinarum, quam poesis studio inflammatum fuisse. Parasse quidem sibi videtur subsidia industriae, quibus urbs illa mirum in modum abundabat, ad omnes vitae status, verum urbem et Academiam, quam maximam et florentissimam tum viderat, non multos post annos minimam tenuissimamque invenit, qua de re monumenta extant in ipsius Senilibus litteris* Lib. x. Ep. 11. *Quod ad Cinum attinet, is fortasse nunquam Bononiae docuit.*

set annorum fere sexaginta. Doluit acerbissime hunc casum, utque res domesticas, tenues illas quidem, et tutorum vel negligentia vel infidelitate minutas componeret, et ut solamen aegrae matri afferret, Avenionem concessit; sed non multo post eius quoque funus vidit, et lacrymis decoravit. Eiusdem memoriae et laudibus octo supra triginta, quot illa vixit annos, versus consecravit, quos non tam pietatis suae, quam studii in Latinas musas specimen fore speravit. Quoniam nihil amplius impediebat, quominus ingenio suo prorsus indulgeret, cum vale dixisset iuris prudentiae, increpante licet Oldrado magnae doctrinae magnaeque auctoritatis viro (1), et Cino Pistoriensi, in humanioribus litteris et in philosophia tabernaculum vitae suae collocare de-

(1) *Huic respondere solitus erat:* nihil contra naturam bene fit, illa me solitudinis amatorem genuit, non fori. *Extat Cini Epistola ad Petrarcham.* Prose antiche ecc. Firenze 1547.

liberavit [1]. Ea propter Ciceronem, Virgilium, Senecam diurna nocturnaque versabat manu, et Livio plurimum se debere profitebatur, quod ex eo colligens Romanae historiae monumenta, et summorum hominum illustria facta, totum se ad illa imitanda inflammari sentiebat. Litteris talibusque doctrinis ante excoli animum illius, et ad sapientiam concipiendam praeparari decebat; dum vero longius intendit aciem, ut investigaret quae dissidentes inter se philosophi docuerunt, nullius se persequi sectam atque institutionem, sed quod verum sincerumque esset, id est naturae hominis et Christi praeceptis accommodatum, se velle tenere professus est [2].

(1) *Haec de se ipso fatetur.* Fuit mihi ut corpus, sic ingenium magis pollens dexteritate, quam viribus... ingenio fui aequo potius quam acuto, ad omne bonum et salubre studium apto, sed ad moralem praecipue philosophiam et ad poeticam prono. *Epist. ad post. Quod ad historica vero studia pertinet, ait.* Incubui unice inter multa ad notitiam vetustatis, quoniam mihi semper aetas ista displicuit.

(2) Non sectas amo *(his verbis scribebat ad Ioannem Columnam)*, sed verum. Itaque nunc Peripateti-

III.

Dum in talibus studiis occupatus suavissima complebatur voluptate, nemini dubium erat, quin omnia, quae vellet, consequi posset. Nihilo tamen minus suis viribus diffidere coepit, et non secus ac si mare ingressus eo, quo tendebat, se posse pervenire desperaret, vela contraxit, remos inhibuit, ac languori ferme se dedidit. Nullum quidem incitamentum ad laborem et gloriam urbs, in qua habitabat, suppeditare illi poterat. Ibi enim avidae libidines temere et effrenate ad honores

---

cus, nunc Stoicus sum, interdum Academicus, saepe autem nihil horum, quotiens quicquam occurrit apud eos, quod verae ac beatificae fidei adversum suspectumque sit... Sic philosophemur, ut quod philosophiae nomen importat sapientiam amemus. Vera quidem Dei sapientia Christus est. Vt vere philosophemur ille in primis nobis amandus et colendus est. Sic simus omnes, quod ante omnia Christiani simus. Sic philosophica, sic poetica, sic historias legamus, ut semper ad aurem cordis Evangelium Christi sonet, quo uno satis docti ac felices, sine quo quanto plura didicerimus, tanto indoctiores atque miseriores futuri sumus.

ac divitias obtinendas incitabantur, quae per malas artes homines adepti erant, ea per luxuriam effundebant, avaritia atque ambitio fidem probitatemque everterant, sic ut aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere, et amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestimare prudentia appellaretur, stupra, adulteria et omne tale flagitium malis exemplis aliisque illecebris excitabantur, nullum denique scelus, nullum malum facinus erat, quod eo in loco, quasi in sua sede esset, non extolleret caput. In tam corrupta tamque corruptrice civitate Gherardus voluptatem prope intuens, eius blanditiis minime obstitit, adeoque ei se dedit, ut omne animi lumen in eo extinctum esse videretur. Neutiquam Francisco probari potuit tam perdita libido, a qua ut ipsum arceret, saepe illi ante oculos ponebat, quae ex ea mala et pericula nascerentur. Sed quod fratris benevolentissimi lacrymae et monita minime obtinuerunt, casus effecit. Nam cum rapta fuis-

set puella (1), quam deperibat, ad se ipsum summo in animi dolore rediit, stultam adolescentiam accusavit, quod sine voluptatibus non modo insuavem, sed nullam vitam putasset, quarum vinculis solutus, ut praeteritae aetatis errata corrigeret, Cartusianorum familiae nomen dedit, in qua ita vixit, ut omnis Christianae virtutis esset exemplar. Ne in hos scopulos incideret Franciscus magnopere illi profuit, quem a natura obtinuerat pudor, et studii atque doctrinae pabulum: nam quamvis, quantum posset, minime eniteretur, nae ille tamen magno desiderio tenebatur illius assequendae. Gaudebat senum praeceptis, quibus ad virtutum studia ducebatur, cumque communis patria conciliasset ipsi be-

---

(1) *Sunt qui morte extinctam putant, et tum exhortatorium illud carmen fudisse Petrarcham, cuius est initium:*

La bella donna, che cotanto amavi, ecc.

Fabulas narrant alii, cum quaerunt caussas tum subitae mutationis in Gherardo, quas confutare supervacaneum ducimus. Vid. Sad. Mémoir. de Petrar. Vol. II. pag. 67.

nevolentiam Ioannis Florentini, hominis ad consilia prudentissimi, huic omnem mentem suam aperiebat, auresque praebebat, quoties admonebatur, ne animum desponderet in persequendo quod recte et gloriose coeperat, quia docti omnes, qui praestantibus ingeniis divina studia coluerunt, hoc quasi gradu ad sapientiam ascenderunt, quod se, ut monebat Socrates, nihil, aut parva admodum scire putarunt. Hisce cohortationibus alacrior factus, quanquam ab urbe, in qua commorabatur, neque celebritatem expectaret sermonis hominum, neque honores, qui ignavis, ambitiosis, atque iis, qui se falsis ornabant laudibus, tantummodo patebant, retulit se ad pristina studia, vel potius in iis multo vigilantius elaboravit, gratiasque fortunae egit, quod eo in loco invenisset Iacobum Columnam, quem condiscipulum Bononiae habuerat, adolescentem summa nobilitate, in quo nihil fictum et simulatum erat, singulari modestia, temperantia, humanitate, doctrina atque eloquentia, quique

sermonibus vulgi minime se dederat, neque in praemiis humanis spem posuerat rerum suarum. (1) Cum hoc arctissimam iunxit amicitiam, ut illum unum in tam corruptis moribus patronum sibi adoptasse videretur. Dederat natura Francisco sensus humanitatis, qui in omni eius dicto factoque apparebant, oculi, supercilia, color, frons, vultus denique totus ingenium bonitatemque eius prodebant, sic ut digito monstraretur, quod non sine molestia ipsius erat. Nam qui miserrimam fatuitatem fratris quondam severe reprehenderat, seque ipsum subaccusabat, quod exquisita nimium corporis ornamenta in prima adolescentia adamasset, timebat ne am-

(1) Vir incomparabilis (*sic eius imaginem expressit Petrarcha*), ad unguem factus homo... in eloquentia nullus par, corda hominum habebat in manibus, quocunque libuisset animos audientium rapiebat... Iam in epistolis et in quotidiano colloquio tam clarus, ut cum vel legeres, vel audires, cor eius introspiceres. *Sen.* lib. xv. ep. 1. memini et mansuetudinem in ea fortuna, humilitatem in illis tot naturae dotibus, honestatem in ea specie corporis admirandam. *Fam.* lib. iv. ep. 6.

bitione levitateque laberetur. Sed quanquam multis virtutibus, ut moenibus, animum septum haberet, (1) hunc tamen amor labefactavit.

IV.

Erat annus MCCCXXVII, dies vero Aprilis postridie nonas, quando in Aede S. Clarae, quo religionis caussa venerat eo ipso die memoriae Christi mortis dicato, cum vidit feminam, quam conspicuam faciebat eximia pulchritudo, vestium elegantia viridi colore, quas pictae violae, et aurea caesaries distinguebant, incessus dignitatis plenus, vultus ad modestiam et pietatem compositus, cuius amore se non modo captum, sed etiam totum inflammatum esse repente sensit. Laurae huic nomen erat, patria Avenio, genus sane nobilissimum

---

(1) Quantus in illa aetate Dei timor! quanta mortis cogitatio! quantus religionis affectus! quantus amor honestatis! Ed. Basil. p. 356. *Quare minime est mirandam si amoris ignes his septus praesidiis nunquam expertus fuisset, ut de se ipso fatetur* Canz. XVIII.

Novesiorum. Cum esset in aetatis flore, biennio antea nupta fuerat Hugoni Sadio, ipsi quoque generosa stirpe orto, qui se beatum putabat, quod saeculo virtuti inimico coniugem invenisset sic institutam, ut nil tam decere nobilem feminam arbitraretur, quam ab omni incontinentiae labe esse immunem. Cruciabatur interea Franciscus intimis sensibus, ut se vix misereque sustentaret, cumque nil potius haberet, quam ut declaratione animi sui invitaret eam, quam deperibat, ad se redamandum, vel saltem aliquo solatio leniret dolorem suum, Italicas musas invocavit, quae quia tum rudes erant et impolitae, se iis magnum et prorsus novum ornamentum allaturum speravit. Satisne id, quod volebat, lyrica atque amatoria in poesi effecerit, nemo non facile iudicabit. Omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus; si res poscit, mollibus duriores, fervidioribus atque commotioribus temperatiores succedunt, ut varios aequabiliter concentus, non secus ac in musicis acuta

gravibus temperata, efficiant, concinnae, venustae acutaeque sententiae, nitida, tenera, morata, collustrata oratio sponte sua fluere videtur, verba, quae referunt in cadendo sonum, et quae similiter desinunt, minime de industria quaesita dixeris, copia, varietas prope incredibilis in numerose exprimenda una affectione animi, ut ne Graeci quidem, iudice Ioanne Casa, de amore melius dixerint. Prorsus in labris Petrarchae Charites ipsae ipsique Cupidines sessitasse videntur. Itaque nobis monendi sunt ii, qui etrusce volunt scribere, ut mirentur hunc unum maxime, et tanquam optimi exemplar imitentur, eiusque poesim non tam ipsius viribus, quam imbecillitate eorum, qui Lyrica ante eum tractarunt, ac praesertim Provinciae poetarum, qui tum maxime in honore erant, metiantur. Italicam poesim creasse licet videatur Dantes, grandis verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis, mirabiliter aptus ad res magnas summa cum brevitate exprimendas, ac tantarum vi-

rium in verbis vel eligendis vel creandis, atque illuminandis sententiis, ut ea, quae narrat, te videre putes, ex eo ipso tamen quam in omnibus rebus difficilis sit optimi perfectio atque absolutio existimari potest. Nam saepe cum verbis tum sono subrustico refert antiquitatem, abiecta non semper vitat, suique pene oblitus, interdum ima summis immiscet, a quibus vitiis tantum abfuit Petrarcha, ut, cum in verbis et eligendis (neque id ipsum tam leporis caussa, quam ponderis) et collocandis, et numerosa comprehensione devinciendis nihil non ad rationem, et tanquam ad artem dirigeret, proprie eleganterque vel communia dicat, et a principio usque ad extremum sibi similis ea fundat carmina, quae vel Metii iudicis, si iis vixisset temporibus, implevissent aures. Minime tamen est tacendum, ipsum, quamvis felicissime illud breviorum carminum genus, quod nos Itali dicimus *Sonetti*, tractaverit, maiores etiam plausus meruisse suis cantionibus, in quibus prope singula-

ris et divina vis poetici ingenii apparet. Quare minime est mirandum, si, teste Philippo Villanio, ei contigerit, quod nescio an ulli post hominum memoriam, ut non pueri modo puellulaeque, sed et senes illius carminum dulcedine capti, illa memoriter ediscerent atque canerent. Erant qui amorem a sensuum illecebris, cupiditatibusque seiungi haud posse putabant, cumque nihil huiusmodi in carminibus Petrarchae, quae omni ex parte castimoniam olent, appareret, ab eo quaesierunt fictasne an veras expresserit curas atque querelas? Utinam, respondit, ne me meus moeror lacerasset, et simulassem sentire, quod re vera miserandum in modum sentiebam; sed nulla simulatio diuturna esse potest, et is stultus habendus esset, qui multum laboraret, ut stultus videretur. In summo dolore hoc unum fortasse gaudebat, quod et suum et Laurae nomen illustre reddidisset. Sane non mediocria nec communia habuit, quae in ipsa laudaret, praeter eximiam pulchritudinem. Nam melle

dulcior erat eius sermo, quem doctrina quoque condiebat, minime expers erat poesis, perite canebat, ad id castimonia tanta, modestia, in Deum pietate, in maritum, quamvis natura asperrimum et suspiciosum, fide, prudentia, mansuetudine atque patientia, ut ipsos Reges in sui admirationem traxerit. Nam cum Avenione esset Carolus Luxemburgensis Bohemiae Rex, magnum nobilium feminarum numerum apud se convenire iussit, ut unam Lauram nosceret, quam in fronte osculans nullo non honore prosecutus est. Haec erant fere, quibus tanquam stellis illuminari versus suos aiebat Petrarcha. Et sane miraberis, ut aliquid exempli caussa ponam, oculos unius feminae, extulisse adeo Poetam, tantosque ei spiritus attulisse, ut dum eos tribus cantionibus laudat, non Horatium modo, sed et ipsum Pindarum aequasse videri possit.

V.

Neque eius poesis elanguit ob Laurae ex hac vita discessum, quin immo magis magisque extolli visa est, quamvis nil nisi triste caneret. Quanta orationis maiestas, cum in caelo sibi videre videtur illam, quam frustra in terra quaerebat, ipsam alloquitur, eius monita audit, sedem atque aeternam domum, in qua habitabat, describit, seque ipsum hortatur, ne humi amplius sua mens defixa mortalia et caduca, et gloriam ipsam aliquid esse ducat, sed caelestia tantummodo spectet! Quid moror in terris, ait, quin ad te venire propero, beatissima anima, cuius ipso nomine recreor, cuiusque virtutum memoria nunquam ex animo meo excidet? Dum vero oculos ad terram refert, et contemplatur mala, quibus oppressa erat Italia, quamque indigne ferret servile Germanorum iugum, vel patronum advocat, qui ei succurrat, ut bellicum ipse canere videatur, vel diuturna ignavia tur-

piter consopitos Italorum ac praesertim Romanorum animos e somno excitare, et ad pristinam virtutem revocare adlaboret, vel caelestes iras imprecatur avarae Babyloniae, quae omni nefario scelere se foedaverat. Ex his quidem facile intelliges Petrarchae lyram sonum reddidisse, quem manus et mens volebat (natura enim quemadmodum ad omnem fortunarum habitum, sic ad omne orationis genus illum formaverat), et illam praeclaram et eximiam speciem poetae perfecti et pulchritudinem expressisse, quam tantopere admiramur in Tibullo, Catullo, Propertio, Horatio atque Ovidio e Latinis, e Graecis autem in Anacreonte atque Pindaro, quamvis hi multum inter se distantia secuti sint genera dicendi (1). Quo grandior et quodammodo excelsior esset, publica efficiebant mala, quae quamvis eum vehementissime tangerent, maluit tamen pro-

(1) *Non aliter iudicasse videtur Io: Vincentius Gravina eo in loco Rationis Poeticae* (sic enim liber inscribitur) *quo de Petrarcha sermonem habuit*.

pria flebilibus carminibus nota facere, ut suum dolorem aliorum commiseratione solaretur, utque veniam et laudes etiam, si fieri posset, obtineret. Digna quidem sunt, quae hoc loco exscribantur eiusdem verba, quibus S. Augustinum sua sibi deliramenta exprobrantem in hunc modum alloquitur. *Unum hoc (seu gratitudini seu ineptiae adscribendum) non sileo, me quantulumcumque conspicis, per illam esse, nec unquam ad hoc, si quid est nominis aut gloriae, fuisse venturum, nisi virtutum tenuissimam sementem, quam pectore in hoc natura locaverat, nobilissimis his affectibus coluisset. Illa iuvenilem animum ab omni turpitudine revocavit, uncoque, ut aiunt, retraxit, atque alta compulit spectare. Quidni? Certum enim est amorem in amatos mores transformare, atqui nemo unquam tam mordax convitiator inventus est, qui huius famam canino dente contingeret, qui dicere auderet, ne dicam in actibus eius, sed in gestu verborum reprehensibile aliquid se vidisse. Ita qui nihil inta-*

ctum liquerant, hanc mirantes, venerantesque reliquerunt: minime igitur mirum est, si haec tam celebris fama mihi quoque desiderium famae clarioris attulit, laboresque durissimos, quibus optata consequerer, mollivit. Quid enim adolescens aliud optabam, quam ut illi vel soli placerem, quae mihi vel sola placuerat? Quod ut mihi contingeret, spretis mille voluptatum illecebris, quot me ante tempus curis laboribusque subiecerim nosti, et iubes illam oblivisci, vel parcius amare, quae me a vulgi consortio segregavit, quae dux viarum omnium torpenti ingenio calcar admovit, ac semisopitum animum excitavit?

VI.

Gaudebat profecto Franciscus se salutari poetam, quo tum nomine nemo dignior erat, ut vel ille Cinus Pistoriensis, cuius tumulum floribus sparsit, si diutius vixisset, primas ei facile concessurus fuisset. Nihilo tamen minus, quod nonnulli extiterunt communium litterarum et poli-

tioris humanitatis expertes, qui ausi fuerant illa ipsa carmina reprehendere, quae doctiores in caelum ferebant, eorum vocibus adeo commotus fuit, ut de iis cremandis aliquando cogitaverit, quod et fecisset, nisi eorum exemplaria plura in vulgus iam sparsa fuissent. Cum aetate autem processisset, et multam et diligentem operam in iis expoliendis consumpsisset, minime veritus est ne videretur insolens, cum ad Coluccium Salutatum scribens de se praedicavit, quae exaravit Italica carmina in sublime adeo ferri, ut in iis augere aliquid et maius facere se posse desperaret. De iis profecto loquitur, quae erant in manibus hominum, nam ex ipso scimus flammis damnasse magnum carminum numerum vario ex genere, in quibus credibile est haud pauca fuisse amatorie scripta, quae senex, Cupidinis emeritis stipendiis, improbavit. Id unum fortasse optandum erat, ut ex iis, quae ad manus hominum pervenire sivit, totum id dempsisset, quod longe nimium quaesitum, na-

turam minime imitari, et argute acuteque nimis dictum videri potest. Nam cum dulcedine perfundimur, apis aculeum ferre non possumus. Sed haec aetatis vitia dixeris, quibus maxime inquinati erant Provinciae Poetae, qui tum soli fere erant in omnium ore. Dum vero in senectute, ne illa esset languida et iners, agebat semper aliquid et moliebatur, tale scilicet, quale in superiore vita studium fuerat, sane multus quoque fuit in perpoliendis carminibus, quae *Triumphi* inscribuntur, quibus iure meritoque gloriabatur, quibusque fieri aliquid posse limatius putabat, quod morte impeditus omnino praestare non potuit. Amor, Castitas, Mors, Fama, Tempus, Divinitas demum hos triumphos agunt. Quanta horum vis sit atque potestas, comprobant exempla clara et illustria ex omni antiquitate omnique historia sumpta, magnaque cum brevitate, satis tamen ornate, et ad vivum expressa, cumque non posset non meminisse et temporum suorum, et virtutum sane memorabilium Lau-

rae suae, de his quoque non uno in loco mentionem fecit, nisi dicere velimus hos Triumphos idcirco exarasse, ut originem et caussas sui amoris exponeret probaretque ex omnibus animi perturbationibus nullam vehementiorem esse amoris furore, utque divinis laudibus ornaret eam, quam in oculis tulerat, seque ipsum excitaret illius exemplo ad mortem et famam contemnendam, et ad verum decus amplectendum, quod non obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis extinguitur, et per quod unum aditum ad caelum, ubi cum amoribus suis beato ac sempiterno aevo frueretur, patefacere sibi posse sperabat.

VII.

Postquam de poeticis Petrarchae scriptis, quibus patrium sermonem plurimum ditavit ornavitque, satis diximus, superest, ut de Latinis quoque dicamus. Tres ipse epistolarum libros, duodecim usque Eclogas, et vel poema condidit, in quibus

omnibus, quamvis optimos Latinos poetas imitari sibi proposuerit, ab iis tamen plurimum distitit, ut dolendum sit ipsum desiisse colere Italicas musas, totumque se ad Latinas transtulisse. Facilis et expeditus ubique apparet, interdum etiam elegans, ut quasi cantu Virgilii eius oratio colorari videatur, modo eloquentiam cum prudentia iungit [1], non delectat tamen hoc ipso, quod inter se omnes partes eius poematum cum quodam lepore minime consentiant, et invenias multa, quae in iis facile reprehendas, nihilo tamen minus magnum is attulisse litteris beneficium vi-

---

(1) *Huic rei exemplo esse poterit eius Latina epistola ad Aeneam Ptolemeium Senensem e Dominicanorum familia, qua ad vivum pinxit miserandum Italiae statum, quando eam universam petierunt Ioannes Luxemburgensis Bohemiae Rex et Galli inter se foederati, ut ipsi servile iugum imponerent. Nunquam non illi animus ardebat et cor cumulabatur ira, quando cogitabat Italos suos degenerasse adeo a maiorum virtute, ut eas nationes timerent, ex quibus tot gloriosas victorias consecuti fuerant. Evenit tamen quod ille minime sperabat, cum victi fuissent Galli et Germani, expulsique Italia, multis suorum amissis.*

detur, quod posteaquam suum nomen in Italica poesi sic extulerat, ut omnes sine invidia ei fasces submitterent,

Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes (1),

docere quoque homines voluit posse et Latinam cum laude tractari, quod ante eum nemo nisi incondite tentaverat. Qui hoc stadium postea cucurrerunt (non de illa turba Latinorum poetarum loquor, qui illa aetate eius moti exemplo infelicissime hoc poesis genus attigerunt), ac praesertim aurea Leonis aetate, longo post se intervallo reliquerunt Petrarcham, cui tamen pares esse minime potuerunt in Italica poesi, quod nimium timide ac pene serviliter eius vestigia sint persecuti.

VIII.

Ista ingenii ornamenta, et quod amplius est, singularis naturae bonitas, multorum ei conciliarunt benevolentiam, qua in re se fortunatum adeo dixit, ut multo-

(1) Horat. Epist. lib. II. ep. 1.

rum excitaverit invidiam. Gloriabatur vero praesertim Columnensium gratia, e quibus Iacobus factus an. MCCCXXX Lombarii episcopus, quae civitas est in Vasconia ad montes Pyreneos, secum habere concupivit Franciscum comitem itineris, quod ad eum locum suscepit. Fuerunt cum ea Aloysius quidam ad Rheni ripas, et Lellus de Lellis generosa stirpe Romae natus, inter quos voluntatum, studiorum sententiarumque consensio talem conglutinavit amicitiam, ut nulla unquam fuerit coniunctior. Multa et illustria huius coniunctionis extant monumenta in Petrarchae scriptis, qui illum priorem Socratis nomine appellavit, idcirco quia non secus ac in Graeco philosopho, erat in eo dulcis, facetus festivusque sermo, idem semper vultus, constantia et firmitas animi prorsus singularis. Poesi plurimum oblectabatur, et musices erat peritissimus, quae ars fortasse aditum illi ad amicitiam Columnae patefecit, cum quo fuit, dum is vixit; post quod tempus famulatus est

Taillerando Cardinali, donec peste anno MCCCLXI Avenione consumptus fuit. Triennio post, eodemque morbo ille alter cui Petrarcha mirus antiquitatis amator Laelii nomen dedit, cuique Italicae et Latinae Musae fuerunt secundissimae, in patria, postquam amplissimis muneribus in ea functus fuerat, e vita excessit. Lacrymae, quas in illorum obitu profudit Petrarcha, declarant quidem firmam et stabilem eorum amicitiam fuisse, et quos usus familiaritasque coniunxerat, verae virtutis honestissimum fructum existimasse, mutuo amore mutuisque officiis sibi respondere. Hos multarum deliciarum comites habuisse aestate illa, qua Lombarii fuit, Franciscus ipse testatur, sic ut nunquam illius beatissimi temporis, quo nullum in vita iucundius sibi obtigit, memoriam deposuerit. Inde Avenionem rediens cum patrono suo benevolentissimo, summo sibi honori summaeque fortunae duxit, quod per eum novisset eius fratrem Ioannem Cardinalem, cuius virtus, et ma-

gnanimitas praesertim, morumque integritas [1] omnibus clara et insignis erat. Nam huic acceptus adeo fuit, ut *per multos annos cum eo vixerit non quasi sub domino, sed sub patre, imo ne id quidem sed cum fratre amantissimo, imo secum et propria in domo*. Sua quoque magni interesse putavit, quod apud eum commorans doctorum hominum consuetudine frueretur, qui ad ipsum omni ex regione concurrebant [2]. Nec grate minus professus est quam carus fuerit Stephano illorum patri, quem multis licet iactatum fluctibus vel ex eo tempore, quo Bonifacius VIII

(1) Vir, *inquit Petrarcha*, supra morem Cardinalium optimus et innocentissimus. *Sen. l. XV. ep. 1. Ductus cum ad illum fuisset fratris filius nomine Agapestus, petiit a Petrarcha, ut eius institutioni educationique puerili praeesset, quod adolescentis culpa non bene successit.*

(2) Ibi omnium ferme literatorum hominum nostri orbis conventus assiduus praesto fuit. Edit. Basil. p. 1041. *Non mediocrem utilitatem percepisse videtur Petrarcha ex familiaritate Riccardi Burii Britannorum omnium doctissimi, qui semel iterumque Avenionem venit sui Regis negotia procurandi caussa.*

crudele bellum Columnensibus omnibus intulerat, nunquam deseruerat virtus illa, quae et semper et sola libera est, quae etiam si corpora capta sint armis et constricta vinculis, ius tamen suum, et omnium rerum impunitam libertatem retinet; quare Petrarcha phoenicem ex cineribus veterum Romanorum Heroum renatum illum appellare solebat. Huic frater erat Ioannes a S. Vito, qui exilii caussa diu peregrinatus fuerat in Orientis regionibus, et hoc quoque familiarissime usus est Avenione, ab eoque multa curiosa didicit, quae ad Persiam, Arabiam et Aegyptum pertinebant, quaeque in eo desiderium excitarunt multorum mores et urbes invisendi. Gratus in eum, ut per se quoque solatium aliquod haberet, comoediam Latinis versibus exaravit *Philologiam* inscriptam, quam tamen publica luce non satis dignam iudicavit. (1)

---

(1) Famil. Lib. VII. Ep. xvi.

IX.

Agebat vigesimum septimum aetatis annum, cum Parisios petiit, ceterasque Galliae regiones invisit, ex quibus ad Belgas atque Germanos profectus est. Dum Coloniae Agrippinae erat, miratus est eam invaluisse opinionem apud illius urbis incolas, ut putarent Rheni aquas non secus ac Letheas maximam vim habere ad omnem vel cohibendam, vel procul avertendam calamitatem, quod ut audivit, ridens exclamavit: O vos terque quaterque beati, quibus tantum obtigit bonum, quod nos frustra a Padi et Tyberis aquis requiriremus! Errores hominum, mores, virtutes, naturam, artes, disciplinas, antiquitatis monumenta, et populos gubernandi rationem inquirenti, omnique ingenii acie contemplanti multa sane se ostenderunt et occurrerunt, quae digna putavit, ut in ephemerides referret, et de quibus per litteras admoneret amicos suos ac praesertim Columnam Cardinalem, qui ab eo ver-

bosiores eliciebat epistolas (1). Neque regionibus, quas viderat, contentus, Indiam quoque, Asiam et Palestinam cogitavit, a qua mente se revocasse ait timorem, ne interruptum longioribus intervallis studiorum suorum cursum facile renovare posset. Quod percuntando tamen et legendo de iis regionibus scire potuit, scripto mandavit; quare docere potuit hominem sibi familiarem, qui solvens Genua Syriam petebat, quod conficiendum illi esset iter, quos vitare scopulos, ad quos appellere portus deberet. Si tibi vero videbitur properanter nimis (nam qui Avenione discesserat mense maio an. MCCCXXXI quatuor fere post menses ad illam urbem rediit) illas, quas diximus, regiones peragrasse, hoc amori tribues, quem erga Lauram alebat, cuius tanta vis erat et magnitudo, ut eius desiderium diutius ferre non posset. Hanc videre sibi visus est in

(1) *Ex epistolis, quas ad Columnam dedit, ut eum doceret de itineribus suis, binae tantummodo ad nos pervenerunt.*

Arduenna silva exprobrantem, quod a se discessisset, et in spem adducentem fore ut ex duritie, si mature rediisset, ad mansuetudinem revocare posset. Falso. Nam gravissimis verbis a femina, cuius erat castimonia tanta, ut velaret os, ne satiaret adspectum, reprehensus fuit, quod a se eam mercedem exigeret charitatis, quae non longissime ab omni voluptatis sensu esset disiuncta. Hoc ipso discruciabatur, quod amor tantus exhauriri non posset ulla repulsa, oderat, quae antea quaesierat, solatia, suspiriis atque lacrymis, ut ita dicam, sustentabatur, seque vehementer accusabat, quod suae vitae ipsum taederet, quodque huc et illuc passim et moeste vagans colligeret undique quae non ad extinguenda, vel saltem sedanda, sed magis magisque inflammanda sua desideria conducerent. Idem nil tam concupivit quam habere Laurae suae pictam imaginem a Simone Memmo Senensi, qui Avenionem venerat ad exornandas picturis Pontificias aedes (nemo enim illis tem-

poribus illustrior pictor erat, ut Iocti discipulum facile agnosceres) pro quo munere ei carmina rependit, quae nomen artificis magis magisque clarum reddiderunt. Quoties vero erat cum Sennuccio suo (hoc nomen seni cuidam erat e nobili Benorum familia Florentiae nato, quem ab epistolis fuisse Ioanni Columnae Cardinali nonnulli tradunt), qui simili sensu et indulgentia in amicum huius angoribus commovebatur, nil nisi de Laura loquebatur, ab eoque malo solatio levabatur, quod ea de ipsa audiebat, quae eius laudes exaequabant, eidemque spem magnam faciebant nunquam fore, ut tanta virtus tantaque morum bonitas minime adduceretur ad respondendum in amore homini, a quo tam vehementer tamque miserandum in modum ipsa provocabatur: providendum tantummodo aiebat, ne longe lateque peregrinans cum detrimento valetudinis studiorumque suorum, duriorem sibi conditionem statueret. Sed is lacrymis ac dolore perditus minime hisce dictis aures prae-

buit, cumque Massilia solvisset, prospero cursu ad Centum Cellas pervenit.

X.

Qui semel iterumque in naufragii periculum venerat, puer in Arno flumine, in ipso Thyrreno mari tum cum Avenionem primum contendit, bonum omen ex placato in se aquarum numinum odio cepit, perinde ac si Cupidinis irae in se quoque mitiores futurae essent. Offendit Romanum agrum perturbatum intestinis bellis, quae sempiterna odia Vrsiniorum et Columnensium maxime excitabant, et vias interclusas armis, quare tutius existimavit Capranicae consistere. Locum et loci dominum (erat hic Vrsus Anguillariae Comes, cui nupta erat Ioannis Columnae Cardinalis soror) summis extulit laudibus (1), suam vero exprompsit iram in eos, qui omnia turbabant, vix ut ullus iis in regionibus locus tutus esset a periculis.

(1) Famil. Lib. II. Ep. XII.

Vt Columnenses sui, qui tum Romae erant, Stephanus et Iacobus audierunt non longe abesse Franciscum, se Capranicam contulerunt, ut eum ad Vrbem militibus stipatum adducerent. Habitavit autem in ipso Capitolio apud Vrsum Anguillaram, qui tum amplissimo munere Vrbani Senatoris fungebatur, nec satiari poterat dum contemplabatur admiranda Vrbis et monumenta veterum Romanorum, sibi gratulans quod quacunque ingrederetur, in aliquam historiam vestigium poneret. Haec dum inquirebat una cum Ioanne a S. Vito, cuius supra mentionem fecimus, quique postquam multas orbis terrarum regiones inviserat, tum, duce Petrarcha, quodammodo in ipsa patria peregrinari sibi videbatur [1], non poterat non detestari incolarum vecordiam, quod illa aut prorsus ignorabant, aut parvi adeo faciebant, ut mediocris quaestus gratia columnas, sta-

(1) Multus de historiis, *inquit Petrarcha ipse*, sermo erat, quas ita partiti videbamur, ut in novis tu, in antiquis ego viderer expertior.

tuas, anaglypta, sarcophagos et cetera huiusmodi alio transferri sinerent (1). Is quidem antiquitatis adeo erat amans, ut nulla lex esset, neque pax, neque bellum, neque res illustris populi Romani, quam diligenter non haberet cognitam: quare de se vere gloriari potuisset studiis suis effecisse, ut hoc eruditionis genus, quo plurimum scripta sua non exornavit modo, sed et cumulavit, coeperit esse in honore. Roma discedens magnum sui desiderium reliquit Columnensibus, quibus erat perfamiliaris, non secus ac si e domo illo-

---

(1) Famil. lib. VI. ep. 11. *Vide etiam* Hortat. ad Nicolaum Laurent. Vol. I. p. 596. *Dum in his rebus Romanorum acriter reprehendebat inscitiam, quaedam esse aiebat, quae iis laudi danda putabat. Nam paria paribus respondebant iis, qui cum ipsis amice et humaniter se gerebant, non parum antiqui roboris in iis residebat, et severi adeo custodes erant castimoniae uxorum, ut quidlibet pati, quam illam violari maluissent. Ceterum, si Petrarcham audis, nobiles Romanae feminae, praeter laudem virilis animi et constantiae, tanta erant castimonia, ut* illas fama vulgaris iure omnium gentium mulieribus anteponeret. Ed. Bas. p. 993.

rum fuisset (1), quare de illo retinendo vehementer adlaborarunt. Dissuasor quoque fuit illius profectionis Anguillariae Comes, qui cum illum hospitio recepisset, existimationem non mediocrem se accepisse putabat. At is in proposito permansit longius errandi, et Hispanica ac Britannica littora visitavit, non alio, ut ipse testatur, consilio, nisi ut libertatem recuperaret (2). An tibi liber videtur (sic

(1) *De Stephano, qui familiae princeps erat, haec memoriae mandavit.* Stephanum de Columna, virum cuilibet antiquorum parem, ita colui, atque illi ita acceptus fui, ut inter me et quemlibet filiorum nihil diceret interesse. *Plura ad ipsum scripsit carmina, cum videret laudis illius gratulationem suam eidem esse iucundam, et monita grata. Monitionem continet carmen, cuius est initium* Vinse Annibal ecc., *gratulationem vero ob victos Vrsinios carmen aliud, de quo haec ait:* Subinde tibi carmen ex meo alienoque contexui, ea lege, ut primus meus, secundus alicuius probati Poetae versus esset, ita ut legentem non sententiarum modo artificiosa connexio, sed verborum quoque consonantia delectaret. Qua in re ecce novi Poematis tenui licet inventione gloriabar, donec misso iam carmine, deprehendi alios ante me hoc genus attigisse.

(2) Vide oro *(his verbis affatur Augustinum hortantem, ut sibi fuga consuleret)* quod praecipis; quoties

se ipsum alloquebatur) cui mulier imperat, cui leges imponit, praescribit, iubet, vetat quod videtur, qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit, dandum est, vocat, veniendum, eiicit, abeundum, minatur, extimescendum. Speravit quidem se e vinculis emissum posse tranquille vivere, et Avenionem redire sine periculo, quod praestitisse videtur sextili mense an. MCCCXXXV, nono fere post mense quam illam urbem reliquerat. Sed quia necessitas quaedam fatalis improvidam eius mentem occupasse videbatur; Lauram revisens, Lauram alloquens, non facile illius blanditiis obstitit, ac ad pristinos laqueos reversus est, sic ut stultitiae suae eum non solum pigeret, sed etiam puderet. Tum fortasse novo quodam

enim convalescendi avidus, atque huius consilii non ignarus, fugam retentavi, et licet varias simulaverim caussas, unus tamen hic semper peregrinationum rusticationumque mearum omnium finis erat, libertas, quam sequens per Occidentem et Septentrionem et usque ad Oceani terminos longe lateque circumactus sum.

amore veterem amorem, tanquam clavo clavum, eiiciendum putavit, quique castimoniam ac temperantiam omni laude graviorem iudicaverat, sensuum habenas adeo laxavit, ut filium, cui nomen Ioannis fecit an. MCCCXXXVII, susceperit. Non satis constat quae huic mater fuerit. Ex litteris quidem Clementis VI Pontificis maximi, quibus natalibus ipsum restituit, hoc scimus unum, *de soluto et soluta* progenitum fuisse. Sane molestissimum fuit Francisco se tale admisisse dedecus, cuius conscientia noctes et dies vexabatur.

XI.

In his tam gravibus animi concitationibus tamque inter se dissentientibus atque distractis, aegritudine videlicet, metu, virtutis amore, sine qua beatus esse nemo potest, atque voluptate, quae omnem virtutis sensum extinguit, ad altissimum montem, cui Ventosi nomen, et in cuius fastigio beatitudinem habitare sibi finxit, adscendit. Quot sustinuerit labores, quot

superaverit impedimenta, ut eo, quo tendebat, perveniret, graphice ipse descripsit. Ex eo vero monte Italiam prospectans illius revisendae se desiderio inflammari sensit, ac memoria repetens omnem vitae suae cursum, et felicia praesertim tempora, quibus amoris et libidinis vinculis solutus Bononiae litteris operam dedit, dolenter exclamavit: Vnde subito tanta morum mutatio? Quando portum tenebo, ubi tutus sim a tempestatibus et fluctibus, quibus misere iactor? O praeclarum munus senilis aetatis, quae id aufert, quod est in adolescentia vitiosissimum, quaeque efficit, ut non libeat quod non oportet. Hasce animi sui contentiones aperuit Dionysio a Burgo S. Sepulcri, cuius consiliis et prudentiae (erat enim vir aetate, auctoritate et sapientia gravissimus, quem Parisiis, in cuius urbis Lyceo Theologiam docebat, noverat) multum tribuebat, ab eoque non solum monita habuit ad vitam recte et sapienter regendam, sed etiam donum libri, quo S. Augustinus

suae iuvenilis aetatis errata patefecit, ut in eo, tanquam in speculo, vitam posset intueri suam, eiusque exemplo bellum acerbum, quod sustinebat, superare. Ad id obtinendum suis diffisus viribus et pertaesus iam pessimarum artium, quas adhibebant qui in urbe fastidii plena velificari honoribus volebant suis (1), nil tam conducere posse putavit, quam solitudinem, et hanc loci amoenitate captus quaesivit ea in valle, cui imminet Ventosus mons, quaeque Clausa appellatur, quindecim millia passuum ab Avenione distanti. Eo, coempto agello et aedicula, cum libris suis se contulit, solatia atque fomenta sperans summorum dolorum. Abies, fagus, pinus, viridis herba, salientes et spumantes aquae, quae ex vicino fonte Sorgia flu-

(1) Artes deerant, quibus hodie praesertim ad altos gradus ascenditur, ambiendi scilicet magnorum limina, blandiendi, promittendi, mentiendi, simulandi etc. E. B. p. 345. *In Epist.* ad posterit. *ait se Roma reversum ferre minime potuisse* taediosissimae urbis fastidium atque odium, *atque idcirco solitudinem quaesiisse*.

unt, admonebant eum, ne falsis et mendacibus visis, quae vulgus admiratur amplius quaereret, sed caelestia tantummodo spectaret (1). Animus paratus ad quidlibet tolerandum, licet iis non modo rebus, quae ad communem usum cultumque vitae pertinent, sed etiam amicis et famulis, a quibus desertus fuit, careret, in suscepto tamen consilio permansit, poesis ac litterarum pabulo sustentatus. Canis, et rusticus homo incola vallis eius desideria plane explere videbantur (2). Gaudebat tamen quod ad se invisendum interdum venirent Guido Septimus, quocum vel ab ineunte aetate vixerat coniunctissime, cuiusque virtutes et doctrina ad Archiepi-

(1) Qui non palazzi, non teatro, o loggia,
Ma 'n lor vece un abete, un faggio, un pino
Tra l'erba verde, e 'l bel monte vicino
Levan da terra al ciel nostro intelletto.

(2) Fam. Lib. XXIII. Ep. VIII. *Aliis quoque in epistolis declaravit omnem suae vitae rationem in hoc solitario loco, in quo multos annos degisse ait* tanta in requie, tantaque dulcedine, ut illud ferme tempus solum mihi vita fuerit, reliquum omne supplicium. Sen. Lib. X. Ep. II.

scopatum Genuensem aditum illi patefecerunt, et Philippus Cabassolesius Cabellionis Episcopus, quem summum pastorem parvi gregis appellare solebat, quique ampliores etiam adeptus est dignitatis gradus, cum ab Vrbano V cooptatus fuisset in Cardinalium collegium. Permagni aestimabat summis his viris probari, quae sibi comparaverat remedia ad sanandas animi cupiditates, solitudinem, firmitatem, et turpitudinis verecundiam, eorumque sermonibus quotidie magis inflammabatur ad virtutis studium. Inter desideria tamen bonorum, quae in ipso animo atque in ipsa virtute versantur, Laura saepe ei redibat in mentem (1), tumque optabat, ne illa pateretur sui desiderio se miserum tabescere. Lapides profecto flere coegisset, cum boni et mali concertationes, quas in se sentiebat, narrabat; com-

(1) Ma pur sì aspre vie, nè sì selvagge
Cercar non so, ch'Amor non venga sempre
Ragionando con meco, ed io con lui.
Son. XXVIII.

pensabantur tamen summi dolores spe pristinam libertatem tranquillitatemque recuperandi, si in suscepta vitae ratione constanter mansisset. Ab hac ad paucos dies se divelli passus est Ioannis Columnae Cardinalis rogatu, ut comes esset viro, quemadmodum illum appellavit, *fortunae maioris, quam prudentiae,* in itinere, quod religionis ergo habuit ad S. Mariae Magdalenae specum. Vix se ferre potuisse huius itineris fastidium Cabassolio declaravit, idque hominis ineptissimi caussa, qui fuisse putatur Humbertus II Viennensis Delphinus. Cum eo familiarissime Avenione versatus fuerat, cuius familiaritatis indicium esse possunt litterae, quibus eum non solum aperte, sed etiam acriter monuit, ne frangeretur mortis timore, et ne turpi ac molli otio tabesceret, dum comparabatur bellum Gallos inter atque Britannos (1). Dimissus ab hoc rediit ad quietis suae portum, ubi commorans poterat de

(1) Famil. Lib. III. Ep. x.

se praedicare, quod dicere solitum Scipionem a Cicerone accepimus, nunquam se minus otiosum esse quam cum esset otiosus, nec minus solum quam cum solus esset.

XII.

Vno eodemque tempore magna et varia animo volvebat, sed ingenii sui vires in eo praesertim profundendas putavit, ut Latinis versibus poema conderet, per quod poetica lauro decoraretur. Reprehendas, si libet, poetam, quod postquam suis in Italicis carminibus argute nimium et nimium frequenter ad hanc arborem respexerit ob nominis cum suis amoribus similitudinem, hanc ob ipsam caussam lauream coronam appetiverit, quod affirmare non auderem, nisi eius testimonio comprobatum esset (1). Tanta vis erat huiusce si-

(1) Quis stupeat (*his verbis eum affatur Augustinus* Coll. III. E. B. p. 403) cum non minus nominis quam ipsius corporis splendore captus, quidquid illi consonum fuit, incredibili vanitate coluisti? Quam ob caussam tantopere sive caesaream sive poeticam lauream,

militudinis, ut si cum pacatiori erat animo virentem laurum vidisset (id sibi accidisse ait cum secus litus Tyrrheni maris navigaret) ad renovandum bellum invitaretur, si vero aridam, ut illa reviresceret optaret, timens ne suus quoque aresceret amor. Haec deliramenta fuisse fatetur a se ipso dissidentis atque discordantis animi, quibus nisi medicinam adhibuisset, finem miseriarum nullum fore praevidebat (2). Sed redeo ad poema.

XIII.

Quod nulla re magis oblectabatur quám Romanorum historia, quorum illustria ge-

---

quod illa hoc nomine vocaretur, adamasti. *In extremo quoque libro poematis sui, ubi multa de se, haec quoque ait :*

Hic modo tantus amor, tanta est reverentia lauri,
Omnibus ex sylvis iam nunc sibi gratior una est
Delphica.

(2) Qual grazia, qual amore, o qual destino
Mi darà penne in guisa di colomba
Ch'io mi riposi, e levimi da terra?

Hoc carmen his temporibus exarasse, et ad Dionysium suum a Burgo S. Sepulcri, qui tum Neapoli sedem suam collocaverat, misisse videtur.

sta a Romulo incipiens et in Titum usque Caesarem desinens describere sibi proposuerat, non poterat non vehementer ceteros inter admirari propugnaculum illud belli Punici P. Cornelium Scipionem, qui tot praeclara in Africa gessit, ut, omnium clarissimo obtento triumpho, primus nomine victae ab se gentis nobilitatus fuerit. Tanti viri gloriosa facinora digna epico poemate putavit, quod Africam inscripsit. Huius in limine narrare coepit quae in somnis a patre eum accepisse tradidit Cicero, quotque monita habuerit, ut patriam non modo externis, sed etiam domesticis periculis liberaret, eique lumen animi, ingenii consiliique sui ostenderet. Duobus usque libris haec complexus est, quos cum legeris, quamvis eximia et praeclara, et satis belle dicta iudicaveris quae audivit Heros ille, diu nimis tamen somniasse tibi videbitur. Credibile quidem est a patris dictis magnum animum et spiritum sumpsisse Scipionem, qui per Laelium gloriae et labo-

rum socium ante omnia alliciendum Syphacem putavit ad iungendam cum Romanis amicitiam. Quam splendide exceptus is fuerit, quae admiranda viderit in eius regia, quae in coena demptis epulis audierit carmina a iuvene cantata de Carthaginis, quae ipse dixerit de Romae ortu, deque veterum Romanorum illustribus factis ac laudibus, deque Lucretiae morte, in qua describenda se ipsum superasse videtur Poeta, tertio poematis libro persecutus est. Post id a Syphace ipso rogatus Scipionis illustria facta enarrat, quem sic in caelum extollit, ut nescias maior ne in bello an in pace, foris ne an domi fuerit. Campus praesertim poetae fuit, in quo eius oratio exsultaret, novae Carthaginis oppugnatio, benignitas, qua Scipio se gessit erga captivas virgines aetate et forma florentes, et omnium formosissimam desponsatam principi Celtiberorum adolescenti, cui Alluccio nomen erat, quibus aliisque rebus factum est, ut uno ore faterentur omnes, venisse Diis simillimum

iuvenem vincentem omnia cum armis, tum benignitate atque beneficiis. Quae postea subsecuta sunt, quando Scipio in Africa Carthaginienses et eumdem Syphacem, qui arma Romanis intulerat, Asdrubalemque pluribus praeliis, adiuvante Masinissa, vicit, quid huic et Sophonisbae, quam deperibat, acciderit, T. Livium secutus omni flore et colore poetico ornare adlaborat Poeta, et multa sane habet ad vivum expressa et ingeniose dicta; sed si totius poematis spectabis oeconomiam, a proposito longissimas digressiones, rerum seriem non bene iunctam, versus non semper splendida et eleganti oratione illuminatos, et alia huiusmodi vitia plura, minime reprehendes Petrarcham, quod friguerit in absolvendo opere, quod summo cum ardore susceperat. Longo post tempore, dum Parmae esset, deambularetque in amoenissimo loco, qui est trans Entiam amnem Regiensibus in finibus, cuique nomen Plana Sylva, repente se novo quodam ingenii aestu absorptum sensit, sic ut quod e mani-

bus deposuerat, resumpserit ac brevi tempore pene perfecerit. Nihilo tamen minus tale non esse iudicabat, quod movere plausus et clamores excitare deberet, obiurgabatque eos, qui ad se gratulatum veniebant, quod rem prorsus miram et novitate primam ad exitum perducere potuisset (1). Ea propter refugit semper ab emittendo illud in lucem, factumque studiis Colucci Salutati et Ioannis Boccatii, qui ipsum magnis precibus a Petrarchae heredibus impetrarunt, ut ad nos usque pervenerit.

---

(1) *Haec habet Hieronymus Squarzafichus in Petrarchae vita*. Cum Veronae esset, et cum ad videndum ipsum multi processissent viri, ut illi complacerent, ad id, quod loquebatur propositum, carmina suae Africae cantare coeperunt; protinus eum audivit lacrymas emisit, rogans ne ulterius procederent. Cum percunctarentur quare hoc faceret, respondit: Vtinam datum esset, ut istud opus abolere possem, profecto nulla res magis grata, neque iucunda foret, quam illud propriis manibus comburendum. *Id ipse confirmavit III in Dialogo* de contemptu mundi p. 365.

XIV

Quod ad alterum vero opus historicum pertinet, cuius supra mentionem fecimus, quanquam in eo contexendo plurimum elaboraverit, imperfectum tamen reliquit (1). Sunt in manibus hominum *epitome vitarum*

---

(1) *Hoc opus ipse tertio in Dialogo* de contemptu mundi immensum, temporisque et laboris capacissimum *appellat, ex quo coniici posse videtur vix adumbratam eius formam extare in iis, quae ad nos usque pervenerunt. Extat quidem opus Italice scriptum, vulgatumque an.* 1476 *in Villa Polliana prope Veronam, de vitis veterum illustrium Romanorum, cuius auctor fuisse dicitur Petrarcha. Sed ex inscriptione codicis cuiusdam coniici posse videtur, Petrarcham has vitas Latine declarasse, Italicas vero fecisse Donatum de Casentino, cui Appenninigenae nomen, summa familiaritate cum Petrarcha ipso coniunctum. Inscriptio Codicis est huiusmodi:* Hoc opus suprascriptum compilatum per summum Poetam literali sermone Dominum Franciscum Petrarcham, et in vulgari sermone reductum per magistrum Donatum de Casentino ad instantiam requisitionemque Magnifici D. D. Nicolay Marchionis Estensis. *Petrarcha ipse rogatu Francisci Carrariensis epitomen fecit vitarum illustrium virorum, quas pluribus exposuerat, et in libros rerum memorandarum retulit. Vid. Tiraboschium* della letteratura Ital. Tom. V. p. 314 *primae editionis.*

Virorum illustrium, et quatuor usque libri *rerum memorabilium*, quibus, clarorum virorum cum Latinorum tum Graecorum, cum veterum tum recentiorum propositis exemplis, quid rectum et honestum, quidque imitatione et laude dignum esset ostendit. Quid non praedicavit de sapientia Numae Pompilii, qui optimis institutis populi Romani felicitati consuluit, de pietate Bruti in patriam, quam tyrannide Tarquinii superbi liberavit, de continentia C. Fabricii, de magnanimitate Decii patris, qui filium devovit et immisit in armatas hostium copias, de M' Curii parsimonia, de M. Reguli magnitudine animi atque constantia, cuius corpus cruciari quidem a Poenis, minime vero animus virtutum praesidio munitus inflecti potuit? Quid vero spectaverint, quid secuti fuerint duo illa propugnacula belli Punici Cn. et P. Scipiones, qui Carthaginiensium adventum corporibus suis intercluserunt, quid uterque Africanus maior et minor, quid inter horum aetates interiectus Ca-

to, quibus gradibus demum (minime necessarium arbitror singula persequi, quod longum nimis esset) Iulius Caesar ad imperium pervenerit, satis erudite narravit, ut omnes intelligerent, per quos res Romana creverit steteritque, et quantas vires virtus habeat. Huiusmodi scripta, quae tota sunt in virtute laudanda, pluris aestimabat quam quae sunt poesis, quasi haec molliret animos, et nervos omnes virtutis ipsius elideret. Fuit enim tempus, quo illum vehementer poenituit (1) dulces adeo se Cupidini et Musis dedicasse versus, ut non legerentur modo, sed etiam ediscerentur ab iis qui vitam umbratilem et delicatam amabant. Cupiens itaque revocare homines ad studium illius disciplinae, quae ars vitae appellari potest, quod in ea de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus disputatur, quamque prorsus

(1) Hinc illa vulgaria iuvenilium laborum meorum cantica, quorum hodie pudet ac poenitet, sed eodem morbo affectis, ut videmus, acceptissima. *Epist. Famil. Lib. VIII. Ep. III.*

deseruerant contenti Asceticorum, ut vocant, libris, illam praesertim sibi excolendam et praeclaris scriptis exornandam putavit.

XV.

Ab eo exordiri maxime voluit quod est de remediis utriusque fortunae, in quo secutus est praesertim Ciceronem et Senecam, non ut interpres, sed, ut solebat, e fontibus eorum iudicio arbitrioque suo quantum, quoque videbatur modo, hauriens. Porro homines nos ea lege nati sumus, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra, nec est recusandum, quominus ea, qua nati sumus, conditione vivamus. Fit autem fere, ut quae in vita accidunt fallacibus iudiciis perpendamus, quod spes, timor, dolor, voluptas cum virtute pugnant, quae illa ludibria fortunae, quae bona appellantur, divitias, honores, famam, potentiorum gratiam, imperia, formam, et cetera huiusmodi minime in bonis numerat, quod fra-

gilia et commutabilia sint, quod mentem e sua sede et statu dimoveant, quodque etiam improbi habeant, et obsint probis; ex quo conficitur, quod rectum, et honestum, et cum virtute est, id solum iudicandum bonum, nec beatum esse posse eum, cui spes omnis, et ratio, et cogitatio ex fortuna pendet. Huic enim nihil potest esse certi, nihilque, quod exploratum habeat permansurum sibi, ne unum quidem diem. Post haec commemorat Auctor quae dicuntur mala, quibus minime exterreri virtutem docet, quia ipsa quod naturae debetur aequo animo solvit, et quia, qui eius praesidio munitus est, qui est totus aptus ex se se, quique in se uno sua ponit omnia, nunquam possit esse aerumnosus et miser, vel omne caelum licet concidat. Quanquam hic dialogus, in quo loquentes inducuntur animi affectiones cum ipsa virtute, habeat multa, quae tibi leviora et verbosiora videbuntur, nec bene imitentur huiusmodi familiarium disputationum formam, qua-

lem a Graecis et Latinis accepimus, magnum tamen attulit adiumentum illius aetatis hominibus, quod eos docuit animi medicinam esse posse philosophiam, eiusque tractationem optimo et amplissimo quoque dignissimam esse. Serius omnino illum absolvit: nam extremam manum ipsi posuisse videtur an. MCCCLXVI, quando Azzus Corregiensis, cui nuncupatur, ex prosperrima in adversam adeo devenit fortunam, ut deiectus e Parmae imperio, quod privatus occupaverat, ab amicis desertus, filiis orbatus, morbis oppressus, vix habuerit in senectute quo se sustentaret. Si vero memoria repetes quam infideliter ipse se gesserit erga Veronenses Scaligeros illius civitatis dominos, quibusque artibus eos dominatu spoliaverit, et quam turpiter hunc, accepta pecunia, transtulerit in Obizzum Atestinum Ferrariae Marchionem, minime effugisse assentationis reprehensionem tibi videbitur Petrarcha, quod illum secundis in rebus unum ex fortunatis hominibus, in adversis

unum ex summis viris iudicaverit. Multis huic nominibus erat obstrictus, magnitudinem animi illius semper est admiratus semperque amavit, quare eum, ex quo Avenione novit, summa semper observantia coluit, nec recusavit cum ipso et Guillelmo a Pastrengo caussam tueri apud Romanum Pontificem Mastini a Scala adversus Marsilium de Rubeis, qui se ab eo eiectum domo, atque expulsum ex suis bonis et patriae dominatu querebatur (1).

(1) *Extat Petrarchae epistola ad Hugolinum de Rubeis Parmae Episcopum, et Marsilii fratrem, qua amicitiam excusat, quod Azzoni et Mastino advocatus fuerit. Magna tum fuit admiratio copiose sapienterque dicentis, ac sic dixisse se gloriabatur, ut nemini iustam offensionis caussam dederit. Ceterum quae Petrarcha non uno in loco scriptorum suorum de Azzone memoriae mandavit, probant se omnia cum illo habuisse communia, nullamque unquam fuisse coniunctiorem amicitiam. Vid. Sad.* Mémoir. de Petrar. Tom. III. p. 488. *Vide etiam Tiraboschium,* Tom. V. cap. II. Storia della letterat. Ital.

XVI.

Quam durae sint dominae, quam imperiosae, quam vehementes animi affectiones, alio quoque scripto declaravit, quod rogatu Carthusianorum Monachorum, ad quos venerat fratris visendi gratia, exaravit. Quia natura nihil solitarium amat, et quia, quo arctioribus constringitur vinculis, eo magis ius suum exercet in inflammandis animi cupiditatibus, inde colligit multas subeundas esse dimicationes iis qui de hominum turba in solitudinem se contulerunt, ut illius conatibus resistere possint. Convenire id quoque necesse ait, acriores esse morsus intermissae quam retentae libertatis, ac memoriam praeteritarum voluptatum vehementiorem esse in iis, qui in otio vivunt, qui si paullulum a virtute deflexerint, ut eos poeniteat suscepti consilii, nihil iis fore miserius, quod neque remedium neque solamen serae poenitentiae afferri posse videant. Quae remedia sint periculis, quae conducant ad

alendam in Deum pietatem, spem et fidem, et in bono perseverantiam, quantae felicitatis esse possit domum habere clausam fallaciis atque praestigiis rerum humanarum, et illa servare sancte, quae Deus ipse nos docuit, ut aliquando ex longa et periculosa navigatione in portum pervenire possimus, ita persequitur Petrarcha, ut plura ab homine rerum divinarum contemplationi addicto, et in sacrorum librorum lectione multum et saepe versato minime requireres(1). Antequam hoc opus *de ocio Religiosorum* (sic enim inscribitur) exararet, aliud scribere instituerat *de vita solitaria*, quod intermissum varias ob caussas, decem tandem post an-

(1) *In extremo libro de se ipse fatetur veluti in peropportuno diversorio conquievisse in SS. Patrum et divinorum librorum lectione, et ex iis uberrimis fontibus se haurire studuisse,* non unde disertior fieret, sed melior, neque unde evaderet disputator maior, sed peccator minor. *Pleni sunt omnes libri Petrarchae sententiis ad alendam in Deum pietatem opportunissimis, ut de iis separatim dicere longum et supervacaneum esset. Vel Poenitentiales Psalmos interpretatus est et compendifecit.*

nos absolvit, misitque ad Philippum Cabassolesium, tum Hierosolymorum Patriarcham. Quot e solitudine commoda utilitatesque, quot e contrario incommoda atque pericula ex hominum consortio atque frequentia oriantur, pluribus exponit. Qui urbes habitant, quasi in domicilio superbiae, et in sedibus luxuriae atque inscitiae collocati, cum quotidie in vitiosa incurrant, videantque paupertatem probro haberi, innocentiam pro stupiditate, parsimoniam pro avaritia, falsas opiniones erroresque perniciosissimos pro veritate duci, cives quaestui atque sumptui omnibus modis deditos esse, nihil pensi, nihil moderati habere, amare, potare, magnifica tecta mirari, temperantiae atque pudori nihil concedere, quamvis ab his vitiis alieni sint, malo tamen more paullatim corrumpentur, quod animus humanus, quasi mollissima cera, voluptatum calore facile tabescat. Pars prima huiusce operis, qua depravatos civitatum mores et infelicissimum Europae statum deplo-

rat, tota elegans est, ad quam elegantiam adiungit etiam interdum oratoria dicendi ornamenta, altera pars, in qua allatis omnium aetatum omnisque generis hominum exemplis vel ab Adam incipiens magis magisque solitudinem laudat, copia eruditionis abundat, philosophari autem praesertim videtur, cum probat conscientiam optimae mentis esse debere ocii sociam et solitudinis comitem, vituperatque eos qui idcirco quia ab hominum societate se seiunxerunt, quasi eorum munus sit nihil praeter negotium suum agere, se solutos putant ab socialibus officiis, quibus nullum vitae genus vacare potest. Prorsus miros sui amores in Petrarcha excitasse veram sapientiam dixeris, cuius quasi formam et speciem ipsam expressit binis in dialogis, quos habitos fuisse fingit inter Idiotam et Oratorem, quosque propterea *de vera sapientia* inscripsit.

XVII.

Cum haec scriberet, expectatione rerum bonarum erigebatur animus illius, nec recusabat impartire ceteris quae sibi comparabat solitudinis oblectamenta. *Iam noscimur,* inquit (1), *legimur, iudicamur, iamque hominum voces evadendi, celandique ingenium nulla spes, et seu prodeuntibus in publicum, seu domi sedentibus apparendum est.* Non tam illum delectabat ista sapientiae fama quam mira quaedam in cognoscendo suavitas, sic ut a litteris nullo modo divelli ac distrahi posse videretur. Aegre aliquando ab illo obtinuit Cabassolesius suus, ut parumper valetudinis caussa cessaret ab omni scriptione et lectione, quod molestum adeo ipsi fuit, ut ex molestia capitis dolorem et febrem contraxerit. Quare vix convaluerat, cum ad pristinum rediit vitae genus. Scimus ex ipso quam omnia occupata tempora haberet. Cibi et

(1) Praef. ad Libros de vita solitaria.

somni parcissimus nunquam coenabat sine lectione, et saepe e lecto surgebat, ut scripto consignaret quae vigilans meditatus erat. Vel eius pellicea vestis, quemadmodum affirmavit Ludovicus Beccatellius, multa ab eo exarata habebat, tantum consuetudo poterat notandi quae memoria digna putabat, sive domi sederet, sive foris deambularet. Istud vitae genus magnopere sane proderat eius studiis animique tranquillitati, sed ipsum abrupit honoris cupiditas: minime enim ocium et solitudo languoris tantum eius animo attulerunt, quin laudis et gloriae stimulis concitaretur. Itaque cum uno eodemque die nuntii ad eum venissent, quibus et a Romano Senatu et a Parisiensi Academia, cuius nomine litteras ad eum dedit Robertus Bardus eiusdem, ut loquebantur, Cancellarius, magnis precibus invitabatur ad frontem redimiendam laurea corona, quod omnium doctrinae praemiorum amplissimum iudicabatur, tantam ex hac invitatione laetitiam voluptatemque ce-

pit, ut in litteris, quas hac de re dedit ad Columnam Cardinalem, se assimilare minime dubitaverit Syphaci, cuius amicitia a duabus potentissimis nationibus uno eodemque tempore expetebatur. Anceps aliquandiu fuit quid consilii caperet, factumque cohortationibus Columnae ipsius, ut Capitolium Lyceo Parisiensi praeferret. Sed antequam Romam concederet, patrocinium sibi conciliandum putavit magni et potentis Regis, cuius auctoritate et testimonio dignus iudicaretur honore, quem vehementissime appetebat. Opportune illi adfuit Dionysius ille a S. Sepulcro, cuius supra meminimus, tum Monopolitanus Episcopus(1), cuiusque opera factum est, ut quae Petrarcha suus litteris mandaverat in manibus haberet atque admiraretur Robertus Neapolitanorum Rex. Prout hic mirum in modum studiis dedi-

(1) *Magna is in gratia erat apud Robertum Regem, et extant litterae Petrarchae ad ipsum, quibus illi gratulatur de tanti Regis benevolentia. Cum mortem vero obiisset an.* 1342 *hanc carminibus Latinis deflevit, quae*

tus erat, tantum virum noscere concupivit ipsumque litteris suis provocavit, quibus exquisivit, quid sentiret de epitaphio quodam a se facto ad prodendam posteris memoriam virtutum Clementiae Galliarum Reginae magnis propinquitatis vinculis sibi coniunctae. Quae rescripsit Petrarcha ostendunt quidem ipsum artes illas novisse, quibus captantur studia Principum, elatusque cupiditate illum pleniore obsequio demerendi, Neapolim se contulit. Miratus est se invenisse Regem, cuius generis magna semper fuit penuria, qui litterarum cultum sceptro praeferret, quique in se honorando nullum praetermitteret officium benevolentissimi hominis. Nam ve-

clausit inscriptione, quam in eius sepulcro poni optasset. Est autem huiusmodi:

Qui fuit Hesperiae decus et nova gloria gentis,
Cultor amicitiae fidus, charisque benignus,
Convictu placidus, vultuque animoque serenus,
Relligione pius, factis habituque modestus,
Altus et ingenio, facundo splendidus ore,
Flos vatum, caeli scrutator, cognitus astris,
Rarus apud veteres, nostro rarissimus aevo,
Vnicus ex mille iacet hic Dionysius ille.

rae amicitiae difficillime reperiuntur in iís qui in honoribus reque publica versantur. Is non tam suspexit in Petrarcha vim doctrinae quam suavitatem sermonum atque morum; nam et ipse ad omnem comitatem facilitatemque erat proclivis. Maxime vero dolere videbatur quod per se non satis gustare posset veneres Italicae poesis (nam eius studia ad politicen praesertim atque ad philosophiam spectarunt); quare sic edoceri petiit a Francisco, ut de eius quoque in hoc genere praestantia iudicare posset. Non plane rudis atque ignarus erat Latinarum litterarum, eaque propter plurimum delectatus est lectione poematis Africae, de quo admirabiliter praedicari audierat, quodque sibi inscribi petiit, postquam extremam manum illi Petrarcha imposuisset. Non fuit sine lacrymis Poetae, quod, quas tanto Regi laudes, magnificas illas quidem, in extremo poematis tribuit, mortuo tribuerit. Egit vero Robertus gratias fortunae, quod is ad se praesertim venisset, ut periculum faceret,

num honore coronae dignus iudicandus esset. Magna in celebritate hominum per totos fere tres dies interrogavit ipsum de omni fere genere doctrinae, quaeque respondit, non modo laudem, sed etiam admirationem habuerunt. Suis ipse manibus ornare frontem Petrarchae optasset, sed quia statutum huic erat in ipso Capitolio, quod tot triumphos viderat, hoc decorari honore, cum eo misit testem opinionis suae Ioannem Barilem virum sibi acceptissimum, nec mediocris nominis poetam, mandata ei dans, ne cui rei parceret in honestando homine, quo nullum se cariorem habere affirmabat. Tot beneficia alio quoque auxit honore, nam datis litteris postrid. Kal. Aprilis an. MCCCXLI, ipsum *Presbyterum et familiarem suum domesticum, ac de suo hospitio* declaravit: Sacrae enim militiae, tonsis capillis, nomen dederat vel ab eo tempore quo Bononia Avenionem redierat.

XVIII.

Illuxit tandem laetissimus ille Petrarchae dies (fuit hic VI id. eiusdem mensis et anni Christi resurgentis memoriae sacer), quo is in Capitolium palla, quam sibi Robertus Rex dono dederat, indutus ascendit, comitantibus octo supra decem primariis adolescentulis, quorum duodecim rubra, ceteri viridi veste erant ornati, quique varias in manibus gestabant coronas. Adfuit Senator Vrbis, quem supra nominavimus, cum magistratibus urbanis, et cum maxima frequentia tum populi, tum eorum qui genere et nobilitate facile erant primi. Quanta multitudo etiam, quanta vis hominum, qui fama et novitate rei commoti (nam quamvis vel ante hoc tempus nonnulli laurea donati fuissent poetae, id sine pompa fuit) ad Vrbem e vicinis locis accesserant! Postquam Petrarcha populum et Senatorem salutavit, ac fausta et felicia omnia brevi oratione aeternae urbi precatus est, lau-

ream coronam a Senatore ipso accepit, qui eam deberi singularibus eius virtutibus magnificis verbis declaravit. Post id recitavit Poeta Italicum carmen, quo laudes celebravit veterum Romanorum Heroum, quasque illi tribuit Stephanus Columna tantis exceptae plausibus fuerunt, ut in eum omnis versa civitas videretur. Ab huius consensu perennius quoque testimonium datum fuit virtuti eiusdem, scriptis litteris honorificentissimis, quibus iura civium Romanorum is obtinuit. Ad id, quasi Dei aliquo dono et munere commendati Populo Romano Poetae atque Historici esse viderentur, tantum horum artis et scientiae in Petrarcha inesse iuratus dixit, nullo ut non honore ab omnibus esset afficiendus. Is e Capitolio recta ad Vaticanam Basilicam contendit, quo Deo gratias ageret, cui illum ipsum honorem referebat acceptum, laureamque coronam, ut pietatis suae perenne esset monumentum, ad aram suspendit. Convivium magnifice et splendide paravit Stephanus Co-

lumna, in quo omnes ii interfuerunt qui in honorando Petrarcha participes quodammodo eiusdem laudis fuerant (1). Qui ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderat, hunc fuisse clarissimum amicis et Roberto Regi per litteras significavit, coepit ipse secum cogitare, num in appetenda laurea corona nimis ambitiosus fuisset, num maturitas tantae rei adhuc advenisset, num ex ea potius quam laudem, invidiam et reprehensiones sibi quaesiisset, quae cogitationes quasi morsum quemdam doloris efficiebant. Quid? Conscientia atque metu cruciatus se sustinere poenam sua temeritate dignam affirmavit. Sane gravem legem et conditionem vitae ei statutam fuisse dixeris, ut

---

(1) *In Diario quodam vulgato a Muratorio* Script. Rerum Ital. Vol. III. P. II. p. 843 *haec leguntur:* Messer Stephano in Sancto Apostolo diè a mangiare ad esso, et a tutti i Laureati Levatori. *Ne hunc laetissimum diem videret Barilis impedivere tristia, quae ei in itinere acciderunt. Nam cum in inimicorum turbam incidisset, parum abfuit, quin ab iis necaretur, quare Neapolim redire coactus fuit.*

continuis animi concertationibus vexaretur, quas vehementiores efficiebat ipse virtutis amor, qui in eo nunquam extingui potuit. Huius si audivisset voces, Roma discedens minime Avenionem cogitasset, quam urbem libidinis scopulum appellare potuisset. Revisit Pisis incunabula suae puerilis doctrinae, inde per Apenninos montes Parmam pervenit eo ipso die, quo Azzus Corrigiensis illius urbis dominatu potitus est specie pristinam libertatem ei restituendi. Is vim quodammodo attulit Francisco, ne a se discederet, cuius se consiliis indigere aiebat ad optimum reipublicae statum constituendum, cum interea, sociis fratribus, multa egisset, quae spem afferebant firmam et constantem in iis fore voluntatem, urbem tyrannidis, quam exercuerant Veronae domini, oppressam malis levandi (1). Haec invitatio gratissima

(1) *Ad haec respexit Petrarcha in ode illa, quae incipit:*

Quel ch' ha nostra natura in sè più degno,

cuique in recentioribus Petrarchae carminum editioni-

illi fuit, quia tam nihil optabat quam se posse populorum felicitati consulere. Sed gaudium turbavit nuntius, quem eo in loco accepit de morte Thomae Messanensis, quocum a condiscipulatu vixerat coniunctissime ob studiorum et morum similitudinem (1). Nam et ipse Italicam et Latinam poesim magna cum nominis sui fama coluerat, fueratque vel ab ineunte aetate

bus locus datus est in additionibus. Cetera inter haec habet:

La patria tolta all'unghie de' tiranni
Liberamente in pace si governa,
E ristorando va gli antichi danni,
E riposando le sue parti stanche,
E ringraziando la pietà superna,
Pregando che sua grazia faccia eterna;
E ciò si può sperar ben, s'io non erro,
Però che un'alma in quattro cori alberga,
Ed una sola verga
È in quattro mani, ed un medesmo ferro.

(1) *Huius, ad quem plures extant Petrarchae litterae mentionem fecit in Amoris triumpho, his verbis exclamans:*

O fugace dolcezza! o viver lasso!
Chi mi ti tolse sì tosto dinanzi,
Senza 'l qual non sapea mover un passo?

Latinis etiam versibus mortui elogium scripsit, quod in eius tumulo positum est.

hac indole virtutis et continentiae, ut respueret omnes voluptates. Doluit adeo Franciscus quod tanti amici consuetudine frui sibi amplius non liceret, ut periculosum in morbum inciderit.

XIX.

Eodem fere tempore audivit Lombariensem episcopum graviter aegrotare, quem in somno videre sibi visus est rivulum horti sui transeuntem, ipsumque cum interrogasset quo pergeret, Romam, respondit, nolo te comitem itineris habere. Tum coniectis in eum oculis, cohorruit quod ex vultus pallore mortuum esse cognovit. Vitam quidem amisit ea ipsa nocte qua se Petrarchae ostendit, qua de iactura cum ad Laelium scriberet, inquit, virum amisimus, qui non dominus, sed pater nobis erat, patriae lumen, familiae columen, litterarum cultoribus portus atque perfugium, cunctis vero modestiae, temperantiae, liberalitatis omnisque virtutis exemplum. Ab eo auctus canonica-

tu, ut dicitur, Lombariensis ecclesiae, eo carere maluit quam commorari in loco, in quo plurima erant impressa vestigia virtutum illius, quae acriorem doloris sensum effecissent. Id spem auxit in Azzo fore ut diutius carissimi hominis consuetudine frueretur; quod et se cupere ostendit, coempta amplificataque domo solitario et amoeno in urbis loco, ubi tanta quiete utebatur, quemadmodum ipse ad Barbatum Sulmonensem scripsit,

. . . . quantam nec valle sonora
Parnassi, nec Cecropiae per moenia villae
Invenit studiosa cohors.

Verum cum mortuo Benedicto XII in illius locum non. martii an. MCCCXLII suffectus fuisset Clemens VI, negare haud potuit Senatui Populoque Romano, quin Avenionem cum aliis claris viris ad ipsum Legatus iret cum mandatis, ne pateretur diutius urbem Romam desiderio tabescere suorum Pontificum. Nulli quidem Italiae gloriae studiosiori haec res committi poterat, celebrabanturque iam omnium sermo-

ne litterae, quas hac ipsa de caussa antea dederat ad Benedictum XII, quae vel inertissimum atque desidiosissimum commovere potuissent. Sed frustra: nam maiorem vim ad deterrendum habuerunt Gallorum machinae quam ad cohortandum Petrarchae eloquentissimae voces (1). Studium,

(1) *Vide eius epistolam latinis versibus exaratam, cuius est initium* Te cui telluris etc. *Sive soluta, sive numeris adstricta oratione uteretur ad cohortandos Pontifices, ut dignitatem et decus urbis Romae conservarent, et ad inflammandos Italos, ut memoriam prope intermortuam maiorum suorum virtute renovarent, iudicabis profecto eius eloquentiam vi quadam maiore fluere abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis. Vel ex eo tempore quo Ioannes XXII ad Catholicae Ecclesiae gubernacula sedebat, atque declaraverat se desiderio teneri restituendi Romanis Pontificale solium, et auferendi ab impiorum manibus Christi Sepulcrum, Petrarcha eos pro animi sui laetitia et sensu fudit Italicos versus, qui testes erunt perpetui illius studii in Italiam remque Christianam universam. Sane quid nobilius ode illa, cuius est initium*

O aspettata in Ciel beata e bella
Anima ecc.?

Sed senex et excors Pontifex repente constitit, quaeque speraverat et praedixerat Poeta, nullos exitus habuerunt. Quare minime est mirandum si in eum aspera multa iecerit, et de ipso amare questus sit, quod in Italiam

quo ferebatur Clemens erga litteras doctosque homines, firmiorem spem iniiciebant Petrarchae fore ut is excitaretur ad restituendam Romanis atque Italis pristinam dignitatem ac splendorem, et tum grave plenumque carmen non sine caelesti aliquo mentis instinctu fudit, quo vetustam gloriam urbis reginae, eius basilicas, templa, theatra reliquaque aedificia aut diruta aut deformata, ornamentisque omnibus spoliata, luctum squaloremque civium, qui multis vexati contumeliis, plurimisque iactati iniuriis non turpes, sed miseri ad illum confugiebant, omnibus artis coloribus

---

sic saeviret, quasi non Italia esset, sed Syria vel Aegyptus. Epist. sine tit. *Postquam vero Petrarcha magis magisque debilitari spes suas vidit de reditu Pontificum in Italiam, quod magnifica aedificia Avenione ipsi et Cardinales extruenda curabant, minime continere potuit iracundiam suam, cetera inter inquiens:* Dum supervacuas et ineptas turres in novissima Babylone construimus, ut caelo tenus scandat ruitura superbia, humillimam Christi sedem non est qui tueatur ac vindicet. Ed. Bas. p. 268.

E le torri superbe al ciel nemiche.

Son. CVI.

expressit. Laudavit Pontifex Poetae ingenium, et remuneratus etiam est diti sacerdotio, quod erat in agro Pisano quodque Migliarini Prioratus dicebatur, sed se movere Avenione noluit, et in summa mollitie animi, et effusa erga propinquos indulgentia, et erga omnes liberalitate, eam turpavit laudem, quam a litteris obtinuerat. Sane perniciose merentur de Republica vitiosi Principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, neque solum obsunt quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent.

XX.

Id infelicissime in se expertus est Petrarcha, qui Avenione commorans non solum illo puro, integro et casto quemadmodum ab ipso appellabatur, erga Lauram amore se iterum ardere sensit, sed etiam voluptario se dedit, ex quo filiam suscepit, cui Franciscae nomen imposuit. Agno-

vit erratum suum, multisque lacrymis deflevit. *Ad quadragesimum annum appropinquans* (his verbis de se ipso loquitur), *dum adhuc et caloris satis esset et virium, non solum factum obscoenum, sed eius memoriam omnem sic abieci, quasi nunquam feminam aspexissem.* Deum quoque sic alloquitur. *Misericorditer providisti deliciis nostris e medio sublatis, cum quibus dextera tua spes nostras e terra pene radicitus extirpavit: iuvenili aetate revocasti eas, morte quidem, ut spero, illis utili, nobis necessaria, et abstulisti a nobis animarum nostrarum vincula .... Cum ego et frater meus gemino laqueo teneremur, utrumque contrivit manus tua.* Quo ex loco coniici posse videtur matrem Franciscae, quaecunque illa fuerit (patria quidem Avenionensis fuisse videtur), non multo post quam illam ediderat, vitam amisisse. Hic casus, conscientiae morsus, quo noctes diesque exedebatur, turpitudinis metus, auctus ab iis quae de castimonia suis in scriptis praedicaverat (turpissimum est enim, quando

cum vita pugnat oratio), verae sapientiae amor facile ab illo impetrarunt, ut lapsus aetatis poenitentia corrigeret, mentemque usque eo corroboraret, ut virtutem efficeret. Exemplar sibi ante oculos posuit sanctissimi viri Augustini, quem ut vitiis, sic laudibus aemulari concupivit. Collegit ipse se, et quasi cum eo colloqueretur, ea scriptis mandavit, in quibus expressam videre licet imaginem eius vitae atque mentis, quae tot affligebatur perturbationibus, totque sustinere bella cogebatur ad debellandas virtuti inimicas cupiditates. Ex hoc sancto augustoque Hipponensis Episcopi fonte sui reprehensiones hausit, quod ingenii, doctrinae et eloquentiae famam quaesierit, quod in corporis forma, ornamentis, viribusque boni aliquid inesse putaverit, quod cupide nimis honores appetiverit, quod interdum exardesceret iracundia et stomacho, quod vitiosam offensionem et fastidium ex iis quae sibi accidebant facile exciperet, animique angoribus minime medicinam adhi-

beret, quod levitatibus non solum amatoriis nimium diu, nimiumque immodice deditus fuisset, sed etiam quod incontinentiae sordibus se inquinasset. Sunt quaedam vitia, puta invidia, quibus reprehensori suo se minime infectum esse confidenter affirmat, quaedam autem, quibus mediocriter se urgeri dixit; de nullis vero copiosius et sapientius disserit quam de amore et gloriae cupiditate, quod haec se a natura habuisse, et etiam studio atque artificio quodam malitiae se aluisse ingenue et non sine pudore fatetur, vix ut ulla ad ignoscendum dari posse venia videatur. Hos cum leges Dialogos *de contemptu mundi* vel *de secreto conflictu curarum suarum* (sic enim inscribuntur), qui omni ex parte virtutem olent, facilem quidem te praebebis ad tribuendam non modo indulgentiam, sed etiam laudem Petrarchae, qui vitia sua palam facere minime dubitavit, quique omnes quaesivit vias ad illa, si fieri potuisset, radicitus extirpanda. In horum Dialogorum loco dolenter queritur quod Ave-

nione commorans videre cogeretur *olentes semitas permixtas rabidis canibus, obscoenas sues, transversas obliquis itineribus quadrigas, diversas hominum species, horrenda mendicantium spectacula, divitum furores, illos moestitia devictos, hos gaudio lasciviaque fluitantes, discordantes animos, varias artes, confusis vocibus clamorem, et populi inter se anxietatis incursum,* quae omnia tranquillitati animi studiisque suis maxima impedimenta inferre dixit. Ea propter saepe ad Vallem suam Clausam redibat, memor illius Horatiani versiculi

Scriptorum chorus omnis amat nemus
et fugit urbes,

et tum novo tenebatur studio, cum se Graeca in lingua instituendum dedisset Barlaamo Basiliensi Monacho, qui Byzantii multis iactatus tempestatibus tum portum in Pontificia aula quaesiverat. Quasi diuturnam sitim explere cuperet, avide arripuit linguam illam, non adeo tamen in illa processit, quemadmodum ex ipso compertum habemus, ut miras Homeri pul-

chritudines plane gustare potuerit. Huic suae voluntati ac diligentiae difficultatem attulit discessus ab Avenione carissimi praeceptoris sui (factus enim fuit Hieraci, quae est Calabriae urbs, Episcopus), quo cum ita versabatur, ut quae ab eo de Graecis litteris accipiebat, ipsi vicissim redderet de Latinis, in quibus hospes erat et peregrinus. Plurimum quoque favit eius honori, neque ob eius discessum, quantum eniti potuit, praetermisit pergere illam, quam instituerat, viam, in qua tum perpauci, ipso teste, versabantur [1]. Nam qui Graece scirent quinque tantummodo fuisse Florentiae ait, unum Bononiae, unum pariter Mantuae, et unum Perusiae, sed hunc longe peregrinantem, binos Veronae, nullumque Romae.

---

(1) *Vid. Petrarchae ipsius epistolam ad Homerum, quam primum emisit Sadus in Vol. III. p. 627 de vita Petrarchae.*

XXI.

Dum Franciscus Graecis litteris sic vacabat, ut ab iis nec divelli nec distrahi facile pateretur, rogante Columna Cardinali, cui nihil negare se posse putabat, mandatum accepit tum illius, tum summi Pontificis negotia Neapoli procurandi. Obierat per illa tempora magno cum bonorum omnium, ac praesertim Petrarchae luctu (1), Robertus Rex, qui neptem nomi-

(1) *Vide quae de eius laudibus praedicavit multis in locis scriptorum suorum, sed praesertim in Lib. III C. III Rerum memorand. Quam magnifice et liberaliter is amplecteretur homines doctrinis deditos, exposuit in epistola, quam ad eum dedit, postquam poetica laurea decoratus fuit. Tanti Regis vitam etiam historiae monumentis mandare aliquando cogitavit, ut in ea posteritas omnis expressam imaginem bonitatis, iustitiae, fidei, prudentiae omnisque praeclarae virtutis intueretur. Saeculo gratulandum videtur, quod licet tum primum e barbarie emerserit, multi tamen in Italia Reguli essent, qui mirum in modum favebant litteris et earum cultoribus. Nam praeter Robertum hac laude floruerunt Scaligeri Veronenses, Carrarienses Patavini, Atestini Ferrarienses, Vicecomites Mediolanenses, Gonzagae Mantuani, Malatestae Pisaurenses, aliique, quarum rerum omnium illustria extant monumenta in Petrarchae scriptis.*

ne Ioannam regni heredem fecit, postquam ipsam desponderat Andreae Caroli Vberti Pannoniae Regis filio magnis propinquitatis vinculis sibi coniuncto, quem idcirco Neapoli educandum curaverat. Venerat cum eo ex ipsa Pannonia nudipes Franciscanus homo, in quo nescisses magis ne sorderent vestes quam mores, quamvis ad modestiam pietatemque in Deum totus compositus videretur. Tanta erat huius potentia, ut omnia eius arbitrio administrarentur, tanta vero feritas et agrestis immanitas, ut omnium non solum facta, sed etiam dicta plena essent timoribus. Erant et factiones, quae miscebant civitatem, in qua immensam aliquam voraginem aut gurgitem vitiorum turpitudinumque omnium te dixisses intueri. Haec videns Petrarcha, et reminiscens felicia tempora, quibus iuste et legitime regnavit Robertus, non poterat non summo horrore perfundi, cuius horroris notae sunt insignes in iis, quas ad Columnam Cardinalem dedit, litteris. Huic et significavit

quae ab eo acceperat mandata liberandi ex vinculis homines Columnensibus addictissimos, obtinendique quae pro suo iure postulabat Pontifex, se desperare posse exhauriri, quod non superbe modo, sed et impudentissime a Franciscano illo homine acceptus exauditusque fuisset. Itaque, infecta re, postquam desiderio satisfecerat visendi vicina loca a Latinis poetis concelebrata, et in quibus tot sunt veterum illustrium Romanorum impressa vestigia, cum itinerum comites habuisset magni nominis Poetas Ioannem Barilem, et Marcum Barbatum, ex illa urbe, invita licet Ioanna Regina, quae apud se tantum virum retinere optabat, exeunte anno MCCCXLIII discessit. Ea cum leges, quae ex eo loco tum vincta, tum numeris soluta oratione scripsit ad amicos, ignosces illi, quod maledictis oneraverit eos qui spectacula edebant humano sanguine foedata, quodque lacrymas effuderit in tot bonorum acerbitatibus et in praesensione malorum, quae erant obventura. Nemo

enim ignorat biennio fere post tam exitiosam factam fuisse coniurationem, ut, ipsa fortasse consentiente Ioanna Regina, eius vir iugulatus fuerit. Hoc de patrato crimine cum admonitus fuisset a Barbato suo Sulmonensi, in haec verba illi rescripsit: *Spectabamus haec, futurisque non secus ac praesentibus angebamur malis . . . Tulit ecce feracissima scelerum aetas nostra, quo glorietur antiquitas, quo se posteritas consoletur, utque omne aevum fiat excusabile, hoc in tempus saevitiae ac totius inhospitalitatis erupit. O brevi multum mutata Neapolis! O infelix Aversa!... In te enim fraude impia periit Rex tuus, ferro utinam, aut virili morte alia, ut hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus atque unguibus laceratus videretur*. Haec et alia huiusmodi multa flebiliter lamentatur, et in extrema epistola se ad Sorgiae fontem confugisse ait, ut summo in dolore praeteriti temporis, et in metu futuri, quasi ex naufragio universae Italiae ereptus quietem aliquam, si fieri potuisset, eo in loco inveniret.

XXII.

Totum illud fere biennium, ante quod illa acciderent, Parmae fuisse videtur. Eius in illam urbem adventus maiorem etiam laetitiam attulit Azzo, quod in universa Cisalpina Gallia sparsus fuerat rumor, ipsum ex hac vita migrasse. Curavit quidem, ut abunde illi omnia essent ad vitae commoditatem iucunditatemque, quodque ibi tantum habebat otii, quantum antea sibi non contigerat, in absolvendo Africae poemate maxime laboravit. Sed brevi qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae molestiarum moles et turbulentissimae tempestates extiterunt. Nam cum Azzus, ut alibi innuimus, Obizzo Atestino Parmam vendidisset, eo tempore quo ex pacto et convento tradere eam debebat Vicecomitibus, quorum auxiliis ipsam occupaverat, magni inde belli caussa orta est, ob quod maxima multitudine obsessa et vehementissime oppugnata urbs fuit. Tum nihil

potius Petrarchae fuit, quam ut obsidionis incommodis et periculis se liberaret; quare intempesta nocte evasit, cumque in hostes incidisset, fugam arripuit, in qua deiectus ex equo aegre incolumis Scandianum pervenit. Inde Bononiam atque Veronam ab eius urbis domino invitatus concessisse videtur, neque multo post exeunte an. MCCCXLV Avenionem rediit. Libenter eum vidit Pontifex, et in honore habuit, ultroque obtulit ei Pontificii Secretarii munus et ditem Episcopatum, quae libertatis amore recusavit. Nemo etiam fuit in illa urbe potentia et dignitate amplissimus, qui illius virtutem non honoraret, ipsique non gratularetur, quod hac tanta celebritate famae decus Avenionensis aulae augeret. Sed haec modice illum tangebat, quod indignissime ferret alienum Pontificum animum a reddendo suo pristino splendore Italiae.

XXIII.

Huic non mediocris spes affulsit a virtute Nicolai Laurentii filii, qui Populum Romanum inflammavit ad deiiciendum servile iugum, quod ei imposuerant potentes familiae, ac praesertim Columnenses atque Vrsinii perpetuis ac crudelibus odiis inter se dissidentes, seque in libertatem vindicandum. Ipso, strenuo sane duce, si non optimam, at aliquam Rempublicam populus ille recuperasse videbatur, cui idem Tribuni nomine praeerat. Magna illico fama surrexit non solum eius virtutis, sed etiam iustitiae in publicis rebus administrandis, ac plures e civitatibus Italicis inter spem et metum legatos ad eum miserunt, amicitiam ipsius petentes gratulantesque quod per eum libertas malis oppressa civilibus, iam extollere caput, et aliquando recreata se erigere inciperet. Huius tanti facinoris conscius erat Petrarcha, qui cum Tribuno ipso, quem habuit comitem in illa populi Romani ad Clemen-

tem Pontificem, de qua mentionem fecimus, legatione, saepe questus erat de infelicissimo Italicarum ac praesertim Romanarum rerum statu. Itaque ut audivit ad exitum illa, quae meditabatur, illum perduxisse, ei Populoque Romano gratulatus est recuperatam libertatem, eosdem magnopere exhortans, ut recordarentur se Brutorum aliorumque multorum, qui suum sanguinem patriae largiti sunt, satu ortos esse, tempus iam advenisse, quo diu nimis consopita virtus excitanda erat ad liberandam patriam dominatione eorum, qui omnis fidei omnisque virtutis expertes caeca tantummodo ac temeraria cupiditate ducebantur ad se explendos alienis bonis, et in quibus neque pecuniae, neque potentiae, nec reliquarum cupiditatum sitim ulla unquam praeda improbe parta minuit, sed auxit potius atque inflammavit. Quae praecepta dedit Tribuno, ut vigilaret semper, quod multae sint insidiae bonis, ut maiora ab improbis civibus quam ab apertis hostibus timeret pe-

ricula, ut religionem et iustitiam, quae sunt vincula humanae societatis, coleret, ut suorum factorum exempla ex summis viris peteret, quorum vitae sunt consignatae litteris, declarant quidem quae eius voluntas esset, quodque eius consilium de Republica bene ac sapienter administranda. Postremo dolere se ait, quod ea sui conditio esset, quae non patiebatur se advolare Romam, et eiusdem laudis participem esse, sed profecto se effecturum, ut tantae rei fama longe lateque pervaderet. Quae rescripsit Tribunus, dans litteras e Capitolio anno ab liberata Republica primo, spem auxerunt in Petrarcha, fore ut inceptis reliqua responderent, neque cessavit monere Tribunum ipsum, ut esset is qui haberi volebat, sibique semper constaret, et ea faceret, scriberet et loqueretur, quae aequus nemo posset reprehendere. Calamum vero exacuit adversus magnae auctoritatis hominem, qui dixerat damno fore Romanis ipsis recuperatam libertatem, plurimumque expedire, ne cete-

ri Italiae populi eorum imitarentur exemplum, testans Deum se animo integro ac libero populorum caussam defendere; qua ex defensione et ex iis, quae ad Tribunum scripsit, facile iudicabis magnitudinem doloris, spemque melioris boni vim quamdam ei dicendi dedisse. Sed Tribunus ille, qui initio nullam mercedem aliam suae virtutis suorumque laborum desiderasse videbatur praeter hanc laudis et gloriae, a se ipso adeo discessit, ut acerbissimis tributis populum oneraverit, ad se vocaverit Carolum Luxemburgensem et Ludovicum Bavarum, quo de eorum controversiis in postulanda Caesarum corona iudicaret, insidiosissime crudelissimeque tractaverit primarios homines, qui oppida possidebant, populi furorem minime compescuerit, quin potius inflammaverit, usque eo ut tres e Columnensium familia sublati e medio fuerint, et alia huiusmodi plura patraverit temeraria, improvida, nefaria, de quibus Petrarcha admonitus a Laelio suo, nihil non egit, ut eum ad sanita-

tem revocaret. Sed animus ambitione corruptus, elatusque prosperitate fortunae, huius inconstantiam minime timuit, quam adversam adeo expertus est, ut a populo desertus, a potentibus, quos male habuerat, oppugnatus, turpissimae demum fugae se se dederit. Non plane eum deseruit Petrarcha, seu longe lateque erraverit, seu captivus a Caesare, ad quem confugerat, Avenionem missus fuerit, se ipsum vero excusare debuit, quod minime se admiscuerit atque implicuerit eiusdem vitiis atque erroribus, laudesque, quibus eum cumulavit, se uni virtuti tribuisse. Habeant haec aliquid excusationis, quae probari posse videatur, minime tamen parum grati animi culpam effugisse Petrarcham arbitror, quod praevidere debebat populi motus a Tribuno excitatos in offensionem Columnensium, quibus tot obstrictus erat beneficiis, casuros. Miraberis vero Pontifices non solum pepercisse Tribuni vitae, sed etiam sperasse posse per eum populum Romanum in fide erga se retineri, ad quem

cum rediisset, ad pristinam quoque rediit mentem, ac demum amentiae suae morte poenam persolvit; qua in re enituit praesertim Stephani illius Columnae virtus, in cuius laude fractum Romanorum nomen niti affirmabat Petrarcha.

XXIV.

Omnino hic voluisset saluti Italiae consulere, illud Ciceronis dictum usurpans: omnium societatum nulla est charior quam ea, quae cum Republica est: chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria una complexa est (1). Intelligebat quam scopuloso in loco versaretur Avenione commorans; quare specie capiendae possessionis canonicatus Parmensis, quo a Clemente VI auctus fuerat, ab illa urbe anno MCCCXLVI discessit. Quotquot invisit Italos Regulos, Parmenses, Veronenses, Mantuani, Ferrarienses, Carpenses singulari-

(1) Sad. Piec. just. n. 28. Tom. III.

bus honoribus illum affecerunt. Redierat Verona Parmam, cum audivit pestilentia, quae Avenione grassata est an. MCCCXLVIII, Lauram suam mortem obiisse. Quanto tum moerore ac luctu afflictus et profligatus fuerit facile est coniicere (1); nam Avenione

(1) L'ardente nodo, ov'io fui d'ora in ora
Contando anni ventuno interi preso,
Morte disciolse, nè giammai tal peso
Provai, nè credo ch'uom di dolor mora.

Haec memoriae mandavit in codice, quem possidebat, P. Virgilii, quique diu ornavit Mediolanensem Ambrosianam Bibliothecam. Laura, *inquit*, propriis virtutibus illustris, et meis longum celebrata carminibus, primum sub oculis meis apparuit sub primum adolescentiae meae tempus anno Domini M.CCC.XXVII. die VI. mensis Aprilis in Ecclesia S. Clarae Avenione hora matutina, et in eadem civitate mense Aprili eodem die VI. eadem hora prima, anno autem MCCCXLVIII ab hac luce lux illa subtracta est, cum ego forte tum Veronae essem, heu fati mei nescius! Rumor autem infelix per litteras Ludovici mei me Parmae reperit anno eodem mense Maio die XIX. mane. Corpus illud castissimum atque pulcherrimum in loco Fratrum Minorum repositum est eo ipso die mortis ad vesperam. Animam quidem eius, ut de Africano ait Seneca, in caelum, unde erat, rediisse persuadeo mihi. Hoc autem ad acerbam rei memoriam, amara quadam dulcedine, scribere visum est hoc potissimum loco, qui saepe sub oculos meos redit, ut scilicet nihil esse deberet quod amplius mihi

discedens hoc doluerat unum, quod eam reliquerat domesticis curis et valetudinis incommodis oppressam. Quanquam nullus sit animi angor, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat, suum nunquam non dicam abiicere, sed ne lenire quidem potuit Petrarcha, cui vita ipsa gravior videbatur. Ad hanc calamitatem accessit dolor, quem ab interitu cepit carissimorum amicorum Ioannis Bardi, quem summis honoribus auctum Parisiis noverat, Sennuccii omnium consiliorum suorum et voluntatum participis, Paganini Mediolanensis magnae prudentiae magnique ani-

placeat in hac vita, et effracto maiori laqueo, tempus esse de Babylone fugiendi, crebra horum inspectione, ac fugacissimae aetatis aestimatione commovear, quod praevia Dei gratia facile erit praeteriti temporis curas supervacuas, spes inanes et inexpectatos exitus acriter et viriliter cogitanti. *Quanquam multis in locis carminum suorum flebiliter sane lamentatus sit Laurae suae ab hac vita discessum, quae tamen de hoc casu cecinit in Capite I de Mortis Triumpho, dulcia adeo sunt et mollia, ut neminem animo agresti adeo et duro futurum arbitrer, qui poetae dolorem non doleat, tantaeque feminae gloriae atque laudi non invideat, quod suae formae virtutisque Petrarcham praeconem invenisset.*

mi viri, in cuius amore requiem plenam delectationis invenerat, ac demum, ut de ceteris sileam, Columnae Cardinalis, in quo praesertim eius ambitio nitebatur. Illa ipsa mala, quae affligebant Italiam, pestilentia, terrae motus, seditiones, bella, hominum sceleratissimorum corroborata iam vetustate audacia, malo cultu pravisque opinionibus corrupti mores, imperantium effrenatae cupiditates, potentiorum familiarum odia animo Petrarchae vulnera acerbissima infligebant, ut errans, dolens nesciret quo in loco praesertim consisteret, et quam requietem angoribus sollicitudinibusque suis comparare posset. Quae res essent, quae formidine animum perterritum loco saepe et certo statu dimoverent, declaravit Socrati suo, quem satis idoneum esse putavit ad se excusandum, quod in tolerando dolore non satis firmitatis haberet. Narrat ei quos amiserit amicos, quam crudeliter in itinere necatus fuerit eorum unus, quocum patriam communem habebat, quique ad se visen-

dum veniebat, quot domos, urbes, agros vacuos habitatoribus, et campos ipsos continendis cadaveribus nimis angustos viderit, sic ut

. . . . crudelis ubique
Luctus, ubique pavor et plurima mortis
imago

cogeret se ipsius vitae taedere, ab omni scriptione cessare, et diu noctuque in luctu iacere. Non sivit tamen se tanquam fluctu, sic magnitudine doloris obrui, quin suam mentem, curam, cogitationem et excellentem omnibus in rebus laudis cupiditatem incitaret ad consulendum Italiae saluti. Dedit itaque litteras magnis eloquentiae luminibus ornatas ad Carolum IV Caesarem, quibus eum vehementer hortabatur ad proficiscendum in Italiam, hancque perditam miseriis levandam. Neque haec oratio fuit huiusmodi, ut aliquid aut ficte, aut simulate, aut assentatorie propriae utilitatis caussa dictum fuisse iudicari potuerit; spirat enim omni ex parte animum communis boni pacisque deside-

rio aestuantem, morae impatientem, perturbationibus commotum adeo, ut igniculos viriles, quos in se ipso sentiebat, ceteris facile communicare potuisset. Vim dicendi praesertim adhibuit cum Romam ipsam commemorantem induxisset monumenta rerum gestarum, et veterum Romanorum exempla, comparantemque suam pristinam fortunam cum ea, qua tum miserandum in modum conflictabatur. Se quoque domestica exempla habere dixit, quae ei proponeret ad imitandum, ut nullam ipsi excusationem relinqueret, quominus ad certam gloriam obtinendam properaret. Parum haec movisse Caesarem videntur, quod nisi tres post annos huic epistolae responsum dedit, ex quo Petrarcha occasionem arripuit animum illius non solum gloriae, sed etiam officii stimulis iterum concitandi.

XXV.

Quando illam priorem epistolam (erat autem annus MCCCL) exaravit, Patavii

commorabatur apud Iacobum Carrariensem illius civitatis dominum, quem exaequare Roberti Neapolitani Regis laudes doctrina, litterarum patrocinio, iustitia bonitateque morum affirmavit. Cultus ab hoc omni officiorum genere, auctusque canonicatu cogitavit ea in urbe sedem studiorum fortunarumque suarum collocare; Parmam tamen eo ipso anno concessisse videtur, cum factus fuisset Parmensis Ecclesiae Archidiaconus, et eiusdem anni aestate Romam petiit religionis caussa: erat enim Iubilaeus. Tum scrutatus est omnes sordes, quibus antea se inquinaverat, et in id praesertim incumbere toto animo sibi statuit, ut omnes a se amatorias voluptates sapiente homine indignas prorsus reiiceret (1). In itinere semel iterumque

(1) Iam a multis annis *(his verbis scribebat ad Io: Boccatium)*, sed perfectius post Iubilaeum ... sic me adhuc viridem pestis illa deseruit, ut incomparabiliter magis odio mihi sit quam fuerit voluptati: ita ut quoties ea foeditas in animum redit, pudore et dolore percitus perhorrescam. Scit me Christus liberator meus verum loqui.

Florentiam invisit, Aretium quoque Roma rediens accessit, cuius urbis magistratus cum bene magna caterva civium obviam illi extra urbis moenia processerunt [1], amplissimosque honores decreverunt. Non aeque liberales Florentini fuere in tanto cive honorando, qua de re et ipse questus est; sed ut errorem emendarent, non multo post ad eum, cum esset Patavii, miserunt Ioannem Boccatium cum litteris, quibus significabant factum fuisse decretum de restituendis illi paternis bonis, deque mandando honestissimo loco in Lyceo Florentino, quod tum primum erat instituendum [2]. Principio id se velle grate et pie

(1) *Narrans id Io: Aretino, ait se in lucem editum fuisse* in vico intimo civitatis Aretii, qui Hortus dicebatur, ac per illum ductum fuisse, ut domum haud sane amplam, qualem exulem decebat, in qua natus erat, inviseret. *Addit etiam* dominum illius publice prohibitum illam amplificare, ne quid ex ea specie mutaretur, quae fuisset, quando hic tantillus homuncio, tantusque peccator intra illud limen in hanc laboriosam et miseram vitam venit. *Sen. Lib. XIII. Ep. III.*

(2) *Nihil honorificentius fieri potuit hoc decreto, cuius exemplum protulit Mehus in vita Ambrosii Camal-*

declaravit, quia incertus erat num cum dignitate vivere posset Patavii, e vivis sublato ab Guilelmo eius propinquo Iacobo Carrariensi. Mutavit postea consilium timens fortasse Florentinorum invidiam, quo vitio omni tempore illorum civitas cumulata fuit, ac sperans quocunque in loco, quem ad habitandum sibi delegisset, se fore honoratiorem atque tranquilliorem. Sibi quoque gloriae duxit, quod in vicina Venetiarum urbe amicitiam sibi conciliasset Andreae Dandoli viri et pacis et belli artibus praestantissimi, cui ad gubernacula Reip. sedenti consilia dedit tranquillitati Italiae utilissima. Haec si secutus fuisset vir ceteroquin prudentissimus, cuius perpaucos pares illa tulit civitas, minime sivisset Venetos suos periculoso implicari bello adversus Genuenses, ex quo

---

dulensis p. 223. *Sed Petrarcha patriae parum adeo amans fuit, ut in tota vita semel iterumque tantummodo, quemadmodum supra docuimus, ad eam venerit, et ad paucos dies in ea manserit, dolens* quod plus advenae praestitisset Aretium, quam Florentia suo civi.

neque gloriam neque utilitatem retulerunt. Hoc fatale Italiae esse Petrarcha dicebat, ut eae Respublicae, quae mari dominabantur, et in quibus pristinae dignitatis libertatisque effigiem te dixisses intueri, perpetuis odiis a se dissiderent, se se mutuo illiderent minimeque, si virtutis et potentiae experiendae desiderio tenebantur, arma a visceribus Italiae ipsius averterent, et ad Orientis regiones transferrent. Multis hinc illinc acceptis detrimentis, studuit easdem Respublicas a furore revocare, quod ea gloria maxime trahebatur, quae est illustris et pervagata multorum et magnorum vel in suos cives vel in patriam vel in omne genus hominum fama meritorum. Huic serviendi oblatam sibi occasionem putavit, cum ineunte aestate an. MCCCLI Avenionem reversus, taedio, ni fallor, calamitatum Italiae, de ratione prospiciendi rebus urbanis consultus fuisset a quatuor Cardinalibus, quibus Pontifex hoc negotium mandaverat. Populi Romani strenue tum caus-

sam egit, quem minime a publicis muneribus removendum, minimeque ferendam esse probavit nimiam, quae in civitate dominabatur, quarumdam alienigenarum familiarum ambitionem, quae omnia honesta negligebant, dum consequerentur potentiam. Totam denique huius generis controversiam sic conclusit, hoc unum fore praesentibus malis remedium, si Romam in ipsa Roma videre datum fuisset.

XXVI.

Nullus sane tum erat, qui acutius Petrarcha videret rerum publicarum agendarum ordinem, et, ut ita dicam, concordiam, cuius iudicia opinionesque cum concordarent semper cum iis praeceptis quae natura nos docuit, huic contigisse videtur, ut eam artem, quam Graeci *πολιτικην* dixerunt, ab interitu ad vitam revocaverit. Si autem gaudere tali bono, quod cum virtute et cum populorum felicitate coniungitur, gloriosum est, confiteri necesse erit hac gloria neminem superiorem ha-

buisse Petrarcham. Quem non contemnimus philosophum, cum ea legimus, quae ad Nicolaum Acciaiolium scripsit, cuius, expulsis Pannonicis, conciliatisque per eum antea nuptiis Ioannae Reginae cum Aloysio Tarentino, summa erat in Neapolitani Regni administrandis rebus auctoritas! Multa ab illo dicta sunt de ordinum concordia et dignitate, de ratione animos perfidia hominum barbarorum distractos ad tranquillitatem revocandi, de non onerando tributis populo, cuius divitiae in Reges ipsos recidunt, de praemiis et poenis, quibus duabus rebus sapienter docuit Solon contineri Rempublicam, deque aliis huiusmodi, quae sita sunt in delectu bonorum, quaeque nosse prudentiae est, facere fortitudinis. Magnum quoque attulisse in eo videtur beneficium Neapolitano populo, quod studuerit reconciliare voluntates Acciaiolii ipsius et Ioannis Barilis, quas ambitio disiunxerat. Summa erant utriusque merita, ob quae ex privata fortuna ad amplissimas dignitates per-

venerant, sed cum uterque nimis alterius intuerentur potestatem, haud invidiae culpam effugerunt. Cum ad eos scriberet Petrarcha, minime veritus est, ut non bene provisa et diligenter explorata principia poneret, quae ex ipso honesti fonte hauserat, quaeque tum ad utriusque gloriam, tum ad publicam utilitatem maxime conducebant. Amplitudinem Acciaiolii magno sibi esse ornamento existimabat, quod eius amicitiam vel a prima aetate coluisset, quodque nullo non tempore ei saluberrima consilia dedisset, suntque testes amoris sui in illum, et iudicii de eiusdem virtutibus litterae ad Zenobium a Strata (1), quibus narrat quot ab eo declarationes voluntatis habuisset, quantisque affectus fuisset honoribus eo tempore, quo Mediolanum venerat pacis conciliandae caussa inter Bernabò Vicecomitem et Romanum Pontificem. Nemo tum erat, qui non bono praesidio muniri existimationem

(1) *Vide has litteras apud Sadium* Mémoir. de Petrar. Tom. III. p. 633.

suam putaret, si in Acciaiolii auctoritate niteretur, quare minime est mirandum si Petrarcha, homo sane de se bene existimans, seque diligens, se ipsum, cum domum suam venisset vir supra privati fortunam amplissimus, Posidonio philosopho comparaverit, ad quem cum accessisset Pompeius, laureatos fasces, ceteraque summae dignitatis insignia deposuit, atque caput aperuit. Vt amice vero, ut intelligenter, ut attente audiretur ab Acciaiolio disserens de rebus publicis, efficiebat summa de illius doctrina opinio. Tenebat enim omne id quod veteres scriptores docuerant, intentisque oculis omnes Reipublicae partes intuenti, et naturales atque insitas in animis nostris notiones sedulo perpendenti multa occurrebant, quae frustra illa aetate ab aliis quaesiisses. Dissimulare vero non poterat, et non vehementer dolere, quod tanta esset morum corruptela, ut in dira et vitiosa necesse esset incurrere, quem ut levaret dolorem, redibat saepe ad solitudinem suam Clausae

Vallis, ubi totus erat in lectione SS. Patrum, divinorumque librorum, a quibus eam sapientiam quaerebat, quam qui possidet, quieto animo est, ut neque tabescat molestiis, neque frangatur timore, nec sitienter quid appetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat. Quam intime percitus esset religiosis sensibus declarant libri *de solitaria vita, deque Religiosorum otio,* de quibus supra diximus, quosque his temporibus exaravit.

XXVII.

Animi, non aeque corporis, medicinam habere aiebat quasdam errare non patientes vias, dumque illam priorem extulit atque adhibuit, illam alteram asperius, quam sui sinebant mores, contempsit atque exagitavit. Hanc arcendam a civitatibus exemplo veterum Romanorum contendebat; in hoc tam exiguo tamque brevi vitae curriculo minime eos ferendos qui mortem, quae naturae debetur, omnium fallacissima arte accelerant: miserandos-

que omnino eos esse qui stultae credulitatis eam subeunt poenam, ut in eos illa infelicis monumenti inscriptio conveniat, *Turba se medicorum periisse* (1). Haec scripsit Petrarcha ad Clementem VI P. M., in quo cum esset summa gracilitas et infirmitas corporis, ac saepissime febribus tentaretur, levationem aegritudinum a medicis sperabat. Minime his occultavit consilia Petrarchae, ex quo, ut ita dicam,

---

(1) *Id dictum tribuit Petrarcha Hadriano Caesari. Verum ex Praef. Plinii ad Lib. XXIX* Natur. Histor. *atque ex Dione Cassio in extrema Hadriani historia multo vetustius esse intelligimus. Senarius est Menandri Comici*

Πολλων ιατρων εισοδος μ' απωλεσεν.

Ceterum quamvis Petrarcha in omni sermone artem medicorum irrideret, multisque in locis scriptorum suorum huius irrisionis caussas narraverit, plures tamen medicos amavit, iisque familiarissime usus est, quales fuerunt Ioannes Dondus, qui aulae Io. Galeatii Vicecomitis erat addictus, Franciscus Senensis, Guillelmus Ravennas, Ioannes Parmensis Canonicus, quorum laudavit mores et doctrinam, nunquam vero, quam profitebantur, artem. Digna plane est quae legatur eius epistola ad Dondum, qua eos, et medicos praesertim, acriter exagitat qui ab Arabibus aliquid se posse discere existimabant. Sen. Lib. XII. Ep. 11.

medicum bellum ortum est, hinc atque illinc editis scriptis, non querelarum modo, sed etiam iniuriarum plenissimis. Qua in contentione hoc unum laudi Petrarchae dabimus, quod viderit quot erroribus, sua praesertim aetate, turpata esset medicina: munus enim hoc suscepisse videbatur, ut redderetur disciplinis liberalibus pristina earum dignitas, neque pro veris fallaces et fucosae merces venditarentur. Neque multo post quam praedixerat, mors Clementis evenit, cui cum successisset, exeunte an. MCCCLII, Innocentius VI, vir gravis et innocentissimis moribus, sed usque eo litterarum expers, ut suspecti illi essent quì in iis excolendis famam sibi comparaverant, vidit statim Petrarcha se non posse amplius cum dignitate Avenione vivere. Ab hac urbe in Italiam rediturus discedens recusavit adire Pontificem, ne ei molestus esset, quod audierat se ab eo in magorum numero duci, idcirco quia Virgilii lectione sic oblectabatur, ut illum nunquam e manibus deponeret. Ex-

titerunt et aliae calumniae ob nimis callidam et malitiosam interpretationem cuiusdam loci epistolarum illius adversus medicos, quasi affirmasset non alibi esse posse praeter quam Romae Petri successorum sedem, quam accusationem minime negligendam censuit, ne certum in periculum se committeret[1]. Tum fortasse novit molestissima et a sua natura alienissima se implicuisse concertatione, in qua tempus et laborem consumpsisse ipsum postea vehementer poenituit. Has deposuisse molestias videtur, cum in itinere prospectans Italiam his versibus ipsam salutavit:

Salve, chara Deo tellus sanctissima salve,
Tellus tuta bonis, tellus metuenda superbis,

---

(1) *His verbis scripsit ad S. Benigni Abbatem :* Scripsi tibi nuper epistolam, et exigente materia, in fine dixi, magnum est in sede Petri, magnum est in solio Caesarum sedere; *sed vulgata epistola,* interpres iniquisssimus quo rem trahit? Dicit me dicere voluisse sedem Petri non alibi esse quam Romae; verum non id quaeritur quid dicere voluerim, sed quid dixerim; quid enim dicere voluerim, nisi fallor, per Hippocratis prognostica scire nequit.

Tellus nobilibus multum generosior oris,
Fertilior cunctis, terra formosior omni,
Cincta mari gemino, famoso splendida monte,
Armorum legumque eadem veneranda sacrarum,
Pieridumque domus, auroque opulenta virisque,
Cuius ad eximios ars et natura favores
Incubuere simul, mundoque dedere magistram,
Ad te nunc cupide post tempora longa revertor,
Incola perpetuus, tu diversoria vitae
Grata dabis fessae, tu quantam pallida tandem
Membra tegant praestabis humum, te laetus ab alto
Italiam video frondentis colle Gebennae,
Nubila post tergum remanent, ferit ora serenus
Spiritus, et blandis assurgens montibus aer
Excipit; agnosco patriam, gaudensque saluto,
Salve, pulchra parens, terrarum gloria, salve.

XXVIII.

Incertus erat Franciscus ubi commoraretur; minime autem dubitare poterat, quin quamcumque sedem sibi delegisset, in ea sic futurus esset, quemadmodum eius dignitas et meritorum amplitudo postulabat. Omnes enim Italici Principes in illo

honorando expetendoque inter se certare videbantur. Quod nemo eorum potentia, addam etiam magnificentia, splendore, humanitate atque clementia aequabat Ioannem Vicecomitem, qui Mediolani dominabatur, huiusque urbis sacris praeerat, apud hunc principio constitit, nec recusavit ipsi studium atque operam suam navare in re publica administranda, consiliarii munere fungens, ea tamen conditione, ut aliquam partem quotidianarum occupationum litteris, veteribus amoribus suis, concederet. Id maximam admirationem movit, atque amice a Boccatio reprehensus fuit, quod cum detrimento studiorum suorum aulae laqueis se irretiri sivisset. Purgavit se huic, seque illo liberiorem dixit, quod uni serviret domino, non autem tyranno populo, apud quem, si dignitas et libertas est in eo, quod sentias aut re efficere, si possis, aut denique libera oratione defendere, ne vestigium quidem ullum esset dignitatis atque libertatis. Maxime autem pergratum fuit Fran-

cisco mandatum, quod habuit a Ioanne conciliandae pacis Genuenses inter et Venetos, qua de caussa Venetias accessit, et ea dixit coram frequentissimo Senatu quae utriusque Reipublicae rationibus maxime convenire putavit, ne disiunctae a communi salute Italiam oppressam viderent Germanorum armis (1). Rumor enim erat eo Caesarem cum exercitu adventare. Infecta re Mediolanum rediit, neque multo post vitam Ioannes amisit, cuius in locum successere tres fratris illius filii Matthaeus, Bernabò, et Galeatius, qui antequam imperii insignia acciperent, Petrarcham sum-

(1) *Extat in Vindobonensi Caesarea Bibliotheca* Arenga facta Venetiis 1353 octavo die Novembris super pace tractanda inter Commune Ianuae et Dominum Archiepiscopum Mediolanensem ex una parte, et Commune Veneciarum ex altera per Dominum Franciscum Petrarcham Poetam et Ambasciatorem. *Extat etiam in eadem Bibliotheca* Arenga facta per D. Franciscum Petrarcham poetam laureatum in civitate Novariae coram populo eiusdem civitatis, et praesente Magnifico Domino Galeaz de Vicecomitibus de Mediolano, dum dicta civitas fuisset rebellis ipsi Domino, reducta ad obedientiam dicti Domini Galeaz 1356 XVIII Iunii. *Vt populo serviret, prorsus populari stilo usus est Petrarcha.*

ma omnium ordinum frequentia dicentem de necessitate concordiae ad tuendam rempublicam bona cum venia audierunt [1]. Erant ii moribus inter se dissimillimi, vix ut fieri posse videretur, ut res Mediolanenses quiescerent. Mirificus tamen eorum consensus fuit in rebus publicis administrandis, et Galeatius, in quo uno patrui virtutum erat imago, eam voluntatem, quam hic semper habuerat in Petrarcham, constanter adeo retinuit, ut omnia eius caussa et vellet et faceret.

XXIX.

Interea Carolus Caesar, rogatus creditur a Venetis et a Scaligeris, ad Italiam cum parva manu an. MCCCLIIII accessit. Mantuam ad eum venit invitatus Petrarcha, comitemque ei se dedit in itinere, quod Mediolanum habuit. Inde Romam

(1) *Digna est quae legatur eius epistola ad Boccatium, in qua narrat quid tum evenerit inanissimi astrologi caussa, cuius, ut et ceterorum huiusmodi circulatorum, insulsitatem ridet.* Sen. Lib. III. Ep. 1.

versus discedentem Placentiam usque comitatus est nullis non honoribus affectus, quos ambitiose, ut solebat, ad amicos scribens extulit, mentionem faciens pretiosissimi sibique carissimi doni, quod ei dedit, numismatum Augustorum, quae maxime excitare atque inflammare ipsius animum debere putavit ad illorum praeclara facta imitanda (1). In iis, quae cum illo habuit, colloquiis non destitit monere ipsum, ut cogitaret quid deberet tantis hominum opinionibus, tantis de illo iudiciis, tantis honoribus, utque consulendo omnibus, medendo incommodis populorum, providendo saluti, parens Italiae dici et haberi vellet. Cum Carolus vero in sermonem delapsus esset de operibus Petrarchae, quae sibi multorum laudibus nota esse dixit, se cupere ostendit, ut in suo nomine apparerent illustrium Romanorum vitae, quod et se velle respondit Franciscus, si illorum gloriam aemularetur, lau-

(1) Sade Mémoir. de Petrar. Tom. II. p. 381.

demque quaereret a magnitudine animi, non a corona Caesarum, quo nomine neminem dignum esse addidit, nisi qui tanti honoris nomen posset sustinere. Illam coronam tum Romae tum Ticini Carolus accepit, quaeque faciebat, quaeque dicebat multitudini iucunda esse volebat. At Petrarcha vehementer improbavit, quod secreto cum Pontifice et Vicecomitibus egisset de illo obtinendo honore, fidemque suam obligasset Pontifici ipsi se Roma discessurum eodem illo die, quo corona redimitus fuisset. Non dimittendam enim hanc opportunitatem putabat, ut Romanis pristina dignitas pristinumque imperium redderetur, utque ceterae Italicae civitates malis civilibus et paucorum tyrannide oppressae e tenebris in lucem tandem evocarentur. Quis tam fuisset excors, quem ista non moverent? Nihilo tamen minus ita parvi parumque adeo sibi constantis animi fuit Carolus, ut fugam turpissimam ab Italia ceperit, ab iis ipsis urbibus exactus, a quibus paullo antea, non

secus ac homo e caelo delapsus, summis acclamationibus exceptus fuerat. Tum fortasse vidit Petrarcha nullam superesse spem succurrendi nimium iactatae Italiae fortunae, et, quas ad Carolum ipsum redditum iam Germanis suis dedit, litterae sunt quidem hominis ingenui et liberi, qui in ipso reprehendere minime dubitavit, quod perpetuae existimationis fidem et religionem deseruisset. Hanc scribendi libertatem minime improbasse videtur Carolus; nullum enim signum immutatae in Petrarcham voluntatis dedit, cum hic ad eum Pragam an. MCCCLVI venisset legatus a Galeatio Vicecomite ob metum belli, quod sibi ab ipso inlatum iri nuntiabatur. Magnum ex hac legatione decus retulit, quod nec liberalius nec honorificentius a Caesare potuerit tractari, a quo Comes quoque Palatinus declaratus fuit, quodque Galeatium suum omni timore liberaverit. Haec valuere ad sibi magis magisque conciliandum illius animum, quem eiusmodi esse testabatur, ut desiderium

omne suum non modo expleret, sed etiam superaret. Qua ex re fiebat, ut omnibus rebus abundaret, salutaretur, appeteretur, coniectique in eum omnium oculi essent. Minime tamen populares plausus quaerebat, raro domo prodibat, quam ad S. Ambrosii solitario in loco habebat, ac saepe in Liternum se abdebat, quod rus ab eo sic appellatum, ut memoriam renovaret loci, in quo Scipio Africanus superior mortem obierat, erat prope Garinianum non longe a Cartusianorum Coenobio. Quam assiduam ibi praesertim studiis operam navaret, quam secum ipse pugnaret, ne voluptatis illecebris delinitus iterum virtuti nuncium remitteret, quam robusto corpore, quam pacato animo esset, quam moderatione, ordine et temperantia gauderet, quantis vel invitus afficeretur honoribus, declaravit Guido Septimo, qui erat omnium consiliorum suorum moderator et particeps. Aderat quoque Galeatio suo, nullum benevolentissimi et diligentissimi hominis praetermittens officium, cui

quae dabat monita, eo referebantur, ut ita se adhiberet in tanta potestate, nulla ut alia potestas ab iis, quibus praeerat, desideraretur. Inter omnes quoque constare video, factum consiliis Petrarchae, ut Ticini institueretur Lyceum, quo tanquam ad mercaturam ingenuarum omnium disciplinarum adolescentes concurrere possent. Enimvero si unus quaeritur homo, qui domi forisque, qui in cognitione illarum artium pene infinitarum, quibus publica et privata felicitas comparatur, quique, non solum in discendo, sed etiam in docendo rationibusque prudentiae tradendis, vere magnus dici possit, hoc nomine dignus iudicandus erit Petrarcha, cuius natura talis erat, ut etiam sine doctrina ad summas res idonea videretur, ea autem adhibita est doctrina, quae vel vitiosissimam naturam excolere potuisset. Quare minime est mirandum, si Mediolanenses eum sic intuebantur, ut quemdam ex annalium memoria, aut etiam e caelo divinum ho-

minem esse in provinciam delapsum putarent.

XXX.

Vt eius virtutes, quae in auribus omnium gentium ac nationum erant positae, in oculis quoque versarentur amplissimae urbis, Galeatius legatum eum misit ad Ioannem Gallorum Regem, ut huic gratularetur de recuperato regno, deque recuperata libertate, quam vi belli imprudentissime ab eo adversus Britannos suscepti et infelicissime confecti amiserat. Cum Franciscus iter per agros et urbes faceret, quas olim florentissimas viderat, et in quibus tum vastitas et solitudo erat, et ipsam Parisiorum urbem deformatam conspiceret, non potuit non horrere belli mala, et non detestari improvidi et negligentis Regis consilia. Hoc unum laudaveris in eo, eiusque filio natu maiore Carolo, qui, absente patre, clavum tanti imperii sic tenuerat, ut illud populi tempestate iactari siverit et fluctibus, quod intellexerint

quanto sibi honori, quantaeque utilitati futurum esset, si Petrarcham sibi prorsus addixissent, cuius consiliis in aegra ac prope deposita Republica sananda uterentur. Nulla is conditione, quamvis liberalissima, adduci potuit, ut Italiam desereret; datis tamen litteris ad Petrum Pictaviensem, veterem amicum suum, religione et litteris, ut ipsum appellavit, insignem, qui in famulatu Regis erat, quid huic conduceret pluribus exposuit. Quis esset optimus Reipublicae status, quae in ea essent inclinationes rerum et momenta temporum, quid mores, ingeniorum cultus, quid domesticae et militares virtutes possent, quid congrueret cum ea disciplina, quam Romani prae ceteris coluerunt, quorum arma tot victorias ac tot triumphos reportarunt, quid spectarint, quid secuti sint Camilli, Aemilii, Scipiones, ceterique illorum consiliorum socii atque imitatores, docte sane persecutus est. Confirmavit id ipsum exemplo Britannorum, qui rei militaris virtute effecerunt, ut qui, se puero, omni-

bus ludibrio erant, tum universae Galliae terrorem inferrent. Addit demum necessarias esse conversiones regnorum, postquam corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum, luxu atque ignavia, et vitiis ipsis nomina virtutum sunt imposita, atque milites conscribuntur praedae avidi, inexercitati, ad fugam magis capiendam quam ad impetum hostium sustinendum parati, nec dubitare se ait, quin Respublica misera, servitute oppressa, et externis modo bellis, modo domesticis discordiis perpetuo obnoxia sit futura, donec vis aliqua omnem eius statum converterit. Permagni quidem aestimabis tanta prudentia, tantaque firmitudine animi praeditum fuisse Petrarcham, ut haec nosceret, ac libera oratione Rerum publicarum Rectoribus sequenda proponeret. Quare minime est mirandum, si tantum illius sapientiae tribuebatur, ut uno eodemque fere tempore invitaretur tum a Galliae Rege, tum a Cesare atque a Romano Pontifice ad operam iis praestandam in regnorum guber-

natione [1]. Vel Principes feminae amici erga illum animi testimonia dabant. Ab ipso enim scimus Caesaris uxorem ad eum manu sua exaratas dedisse litteras, quibus nuntiabat se filiam suscepisse, donatumque tum eiusdem tum viri nomine aureo vase, cum filium edidisset. Reversus vero Mediolanum lustralibus aquis suscepit, quem pepererat filium Bernabò Vicecomitis uxor, qui honores in eos ipsos, a quibus tribuebantur, recidebant, tanta erat opinio, quam omnes de dignitate Petrarchae habebant.

---

(1) *De Ioanne Galliae Rege haec memoriae mandavit:* non modo prece fervida, sed manu amica pene mihi iniecta tenere me voluit, abeuntem denique litteris persecutus ardentibus. *Fam. L. XXIII Ep. II. In Ep. vero I.* Senilium *ait:* Simul me hinc Romanus Caesar, hinc Francorum Rex certatim evocant, his promissis hisque muneribus iam praemissis, quae si pergam exequi, et longum erit, et videbitur fabulosum... Novissime vero Summus Pontifex, hic solitus necromanticum opinari, et ipse me altis vocibus ad se vocat, duobus iam nunc beneficiis collatis, pluribusque, si paream, oblatis... Vult me ad officium Secretorum.

XXXI.

Fatali quadam necessitate sedem mutare coactus, ob repentinam multitudinem Gallorum praedonum, qui, duce Montis Ferrati Comite, terrorem et pestilentiam Mediolanensibus attulerunt, Patavium aufugit, neque multo post ob pestis quoque metum Venetias se contulit. Ad publicas calamitates accessit domesticus dolor ob mortem Ioannis filii, quem amabat, quanquam ab eo nihil speraret boni. A summis quidem viris Veronae et Parmae ita institutus fuerat, ut patre, avo, maioribusque suis dignus evaderet, sed inconsiderate, negligenter, licenterque adeo se gessit, ut saepe patris patientiam tentaverit, a quo semel iterumque domo expulsus fuit. Nunquam tamen illum, vel dum in media stultitia haerere intelligebat, prorsus deseruit, atque in gratiam restituerat, quando is mortem IV id. Sext. an. MCCCLXI obivit. Omnino respondit paternis studiis Francisca, quam nuptui col-

locavit eodem illo anno Francisco de Brossano Mediolanensi, quocum castissime et coniunctissime vixit, et a quo filium suscepit Ticini tenerrima in aetate vita privatum (1). Vterque magna solatia Petrarchae praebuerunt, cum in eorum sermone suavitateque omnes curas atque dolores deponere soleret. Dum vero conquirebat qua ratione suis omnique posteritati consulere posset, consilium plenum prudentiae illum cepisse dixeris, quod de bibliotheca sua multorum sane nummorum Venetae Reipublicae donanda, publicoque com-

(1) *Non fuit hoc sine maximo dolore Petrarchae, qui pueruli tumulum his versibus ornavit.*

Vix mundi novus hospes eram, vitaeque volantis
Attigeram tenero limina dura pede.
Franciscus genitor, genetrix Francisca; secutus
Hos de fonte sacro nomen idem tenui.
Infans formosus, solamen dulce parentum,
Nunc dolor. Hoc uno sors mea laeta minus.
Cetera sum felix, et verae gaudia vitae
Nactus et aeternae tam cito, tam facile.
Sol bis, luna quater flexum peragraverat orbem,
Obvia mors, fallor, obvia vita fuit.
Me Venetûm terris dedit urbs, rapuitque Papia;
Nec queror; hinc caelo restituendus eram.

modo dicanda egerit. Hanc enim distrahi nolebat, nihilque tam cupiebat, quam ut ii, qui publica negotia procurabant, litteras adamarent et colerent. Quod vero Venetos praesertim tanto munere dignos putaverit, in hoc non tam sapientiam illorum agnosces, quam pium et gratum Petrarchae animum. Publico enim decreto ab iis satis ampla domo donatus fuerat, tantisque honoribus affectus, ut cum spectacula ederentur ob recuperatam Cretam, ipse ad dexteram Reipublicae Principis, (erat tum Laurentius Celsus) universo spectante populo sedere iussus fuerit (1). Quod vero in libera civitate non minorem utilitatem afferunt qui togati

(1) Sen. Lib. IV. Ep. II. *Narrans haec Petro Bononiensi Rhetori ait*, augustissimam Venetorum urbem unam libertatis ac pacis ac iustitiae domum esse, unum bonorum refugium, unum portum, quem bene vivere cupientium tyrannicis undique ac bellicis tempestatibus quassatae rates petant, urbem vero divitem, sed fama ditiorem, potentem opibus, sed virtute potentiorem, solidis fundatam marmoribus, sed solidiori etiam fundamento civilis concordiae stabilitam.

Reipublicae praesunt, et artes pacis comites provehunt, quam qui bella gerunt, non recusavit, postquam operam studiumque suum interposuerat, quo Luchinus Vermius Veronensis Eques, magnique nominis Dux imperium susciperet copiarum, quas Veneti ad subigendos rebelles Cretenses conscripserant, ea docere quibus officia et laudes optimi imperatoris continentur. Minime se vereri dixit insolitae et inopportunae loquacitatis reprehensionem, quasi delirantis Phormionis exemplum renovaret, qui Annibali de re militari praecepta dare ausus fuerat. Nam disserens de scientia deque virtutibus, quibus ornari decet belli ducem, non iis modo imperatoriis, cuiusmodi sunt fortitudo in periculis, industria in agendo, consilium in providendo, celeritas in conficiendo, sed iis etiam lenioribus, temperantia, fide, facilitate atque humanitate, quarum omnium illustria sunt exempla in Romanorum historia, rem gratam veteri amico se facturum putavit, si haec ita recensuis-

set, ut posset tanquam in speculo virtutes intueri suas. Tantum dolebat perpaucos, qui ei similes essent, inveniri, nullos vero, qui, dum oppressam dedecore et infamia intuebantur Italiam, ad quam veterum Romanorum hereditas gloriae et factorum imitatio pertinere videtur, eam a somno excitarent. Cum argumenta caussarum, quae tot mala pepererant Italiae, colligeret, eaque ad amicos scribens non solum numerare, sed etiam perpendere soleret, his ferme verbis aliquando exclamavit. Tacere haud possum, sed quem appellabo, quem obtestabor, quem implorabo? Tene, Brute, libertatis et pudicitiae vindicem, tene, Camille, qui captam patriam transalpinis hostibus gloriose adeo liberasti, ut secundus conditor Vrbis Roma edicereris, tene, Scipio, ferocis Annibalis victorem, tene, Aemili, Macedonum, tene, Pompei, Parthorum domitorem? Sed vos, animae grandes, nil nobis reliquistis, nisi desiderium vestrum, et memoriam factorum illustrium, quae

infamiam augent, quod tellus illa, in qua tot sunt impressa vestigia rerum a vobis gestarum, omni nefario scelere a parva praedonum manu turpetur. Quid? Ad te ne, summe vir (Caesar) confugiam, cuius aures iamdiu clamoribus nostris obsurduerunt? Itaque nil remanet aliud, nisi ut te, rerum omnium creator et moderator Deus, precer atque obtester, si hanc peccatis poenam statuisti, ut Italia amissam libertatem amplius recuperare nequeat, ne saltem tot sacrilegia, caedes, rapinas, furta, adulteria, stupra impunita et inulta esse patiare. Minime quoque cessavit monere Catholicae Ecclesiae Rectorem, nunquam eo licentiam fuisse venturam, si querelae et lacrymae Italiae suos Romanos Pontifices reposcentis ipsum commovissent.

XXXII.

Summum tum gerebat Pontificatum Vrbanus V, quo nemo paratior promptiorque extitit ad reddendam urbi Romae suam

pristinam dignitatem. Fortis in hoc erat et plane virilis animus, prudentia cum iustitia humanitateque coniuncta, morum innocentia prope singularis, rerum bonarum et malarum scientia, quam usu praesertim complurium negotiorum adquisierat. Quare ut audivit Petrarcha creatum illum fuisse Pontificem maximum, ac curasse statim, ut vitia multa, quae irrepserant in Avenionensem aulam, et quae pessimi mores consuetudinesque corroboraverant, tollerentur, de eo se posse bene sperare putavit. Non repellebatur ab eo quod aggredi cupiebat Pontifex; sed quia multi negotii, multaeque difficultatis erat sedem et domicilium iterum Romae collocare, rem hanc procrastinavit adeo, ut timere coeperit Petrarcha immutatam in eo fuisse voluntatem. Ad hanc vel revocandam vel in proposito confirmandam pluribus verbis ad eum scripsit, ea colligens omnia, quae probabant magni ad decus, ad laudem et officium illius, et ad Italiae salutem interesse ipsum ad Vrbem quamprimum venire.

Rogavit, Romam ut respiceret, a complexu Patris Pastorisque sibi a Deo assignati abreptam in luctu atque squalore iacere, Orientis regiones a Turcis oppressas teneri, subactam Graeciam, pericula Calabriae intendi, Graecam Ecclesiam verbis coniunctam, re autem vera a Latina seiugatam, illud et addens inertissimae segnitiae esse eo in loco commorari, ex quo tot malis sera comparari remedia potuissent; eique non Romam modo, sed et Byzantium concedendum esse, si id Christianae Reipublicae utilitas postulasset. Tantam ne a Christo arbitrabimur potestatem concessam Romanis Pontificibus fuisse ait, ut ad paucorum voluntatem, qui deliciarum et voluptatis caussa Galliam Italiae praeferunt, in cubilibus delitescant, et in otio torpescant? Cum vero Italiam et Romam comparat cum Galliae regionibus, et iis praesertim, quas *ferae Rhodani gentes* incolunt, quaerit qui sint illi Conscripti Patres, qui malunt in coeno iacere quam terras habitare, quas tot artes et natura

ipsa nobilitarunt. Haec et alia huiusmodi plura libera ac plane virili oratione a Petrarcha exposita ita a Pontifice accepta fuerunt, ut studium et eloquentiam illius plurimum laudaverit, et coram cum eo, quem fama, minime vero de facie noverat, loqui concupierit. Et id quidem inter omnes constare video maxime stimulatum fuisse Pontificem hac epistola ad iter Italicum suscipiendum, quamvis Cardinales, et vel ipse Galliae Rex omnes adhibuerint machinas ad illum retinendum. Constitit is Viterbii Petrarchae ipsius hortatu, a quo iterum litteras accepit, in quibus erat laudum illius gratulatio, timoris consolatio, et reprehensio eorum qui ipsum ab Italia alienare elaborabant. Prorsus Pontifex Petrarcham noscere et alloqui cupiebat, et quo maiorem hic spem habebat fore, ut consiliis quoque suis, quae ad rationem Reipublicae gloriosa essent, vir, qui tot iam dederat sapientiae et sanctitatis documenta, gereret, eo alacrius iter ingressus est. Vix autem Ferra-

riam pervenit, cum in gravem morbum incidit, cuius molestias aliqua ex parte levarunt officia plena suavissimi studii, quae ei Atestini Principes tribuerunt. Vel antequam Patavio discederet, senserat plurimum debilitatas esse corporis vires, qua ex re testamentum conscripsit, quod esset pietatis suae insigne monumentum. Eo autem, postquam convaluit, cum rediisset, minime cessavit monere Pontificem, ut quoniam tanta Italorum declarata erat voluntas in eum, ne se moveri pateretur vocibus illorum, qui suasores et impulsores erant, ut Galliam repeteret. Vt audivit autem inanes fuisse cohortationes suas (nam tertio post anno quam in Italiam venerat, aestate scilicet an. MCCCLXX eam deseruit), gravissimis verbis eius discessum reprehendere meditabatur, quod instituta iam epistola, ne praestaret, mors fecit ipsius Pontificis, quam obivit non multos post dies quam Avenionem redierat (1).

(1) In apologia contra Galli calumnias *ait se instituisse ad eum scribere, calamumque sumpsisse, et his*

Calamum vero sumpsit Franciscus, ut impudentiam coargueret Galli cuiusdam sane ineptissimi hominis, qui quatuor post annos quam illam priorem dederat Petrarcha epistolam ad summum Pontificem, hanc confutare aggressus fuerat, multa insulse, stulte, arroganter proferens in ipsum, Italiam, Italosque omnes. Sane minime opus erat tanto eloquentiae apparatu, quantum Petrarcha adhibuit, ad illum ulciscendum, sed homo, qui praesertim gloriabatur se Italum et civem Romanum esse, tantam audaciam atque impudentiam ferendam non putavit, nec mediocriter illi profuit Gallorum levitas cum feritate coniuncta, intemperantia, perfidia, inveteratum odium, quod semper habuere in Romanos, ut horum laudes cum illorum reprehensione coniungeret.

---

verbis compellasse. Heu Pater beatissime, quid fecisti? unde ista mollicies? Quis te fascinavit, ut principium tam grande deserueris? Quis te autem clarior, si quod gloriosissime coeperas, ad extremum spiritum perduxisses?

XXXIII.

Quoties Petrarchae tractandum fuit hoc concertatorium dicendi genus, nunquam non palam fecit facile illi concaluisse stomachum, cum in hominum ineptias et stultitias incurrebat, et erant eiusmodi tempora illa, ut homo, qui vitam suam ad reipublicae statum et ad ingeniorum litterarumque cultum reservabat, inveniret multa, quibus eius offenderetur animus. Reiecit astrologorum praedicta, et acriter reprehendit eos qui non tam caeli rationem quam caelati argenti ducebant; libere monere non destitit homines, ne se decipi paterentur ab iis qui ex vilissimis metallis aurum conflare se posse iactabant; liberare studuit philosophiae cultores servili Scholasticorum iugo, quod prorsus mirabile, si tempora spectes, videri debet. Tantum inerat studium et insitum penitus atque inustum mentibus quorumdam, qui se anteire ceteros sapientia putabant, erga Averroem, ut prae eo sapien-

tissimos atque sanctissimos Catholicae religionis magistros contemnerent atque irriderent, in quos cum incidisset, exarsit iracundia et stomacho, et ad eos coarguendos librum exaravit *de sui ipsius et multorum ignorantia*. Hoc in loco narrat quatuor praesertim ex illorum numero extitisse secum familiaritate coniunctos (1), qui ad se, dum Venetiis erat, venire solebant, quique postquam multis habitis disputationibus, senserunt, nullo fieri posse modo, ut ipse eorum sententiis adhaeresceret, rectosque de religione sensus desereret, hanc pro tribunali pronuntiarunt sententiam, ipsum virum bonum esse, sed litterarum expertem. Illum cum leges librum, dolebis profecto non nostris modo, sed veteribus etiam temporibus extitisse, si superis placet, philosophos, qui bellum

(1) *Ex manu scripto codice Venetae Bibliothecae SS. Ioannis et Paulli hos fuisse scimus Leonardum Dandolo, Thomam Talentum, Zachariam Contarenum Venetos, et Guidonem de Bagnolo Medicum, cui Regium Lepidi patria erat.*

caelo intulerunt, laudabis vero Petrarcham, quod in exponendis Scholasticorum deliramentis se non modo bene animatum, sed et totum inflammatum ostenderit in divinum auctorem Christianae religionis (1), ipsum vero fortasse levitatis subaccusabis, quod ad repellendam illiterati hominis accusationem narraverit, quot litterarum caussa vel a prima adolescentia sustinuerit labores, quotque affectus fuerit honoribus a summis Regibus, Romanis Pontificibus, iisque omnibus quorum eminebat dignitas atque potentia. Maius etiam opus suscepisse videtur, cum aggressus fuisset omnes impii Averrois confutare errores, quod cum variis distractus occupationibus absolvere minime potuisset, precibus egit cum Aloysio Marsilio Augustiniano homine, cuius magnum erat in Theologis no-

(1) Quo plura, *inquit ipse,* contra Christi fidem dici audio, et Christum magis amem et in Christi fide sim firmior, ita nempe mihi accidit, ut si quis in patris amore tepentior, de illo audiat obloquentes, amorque, qui sopitus videbatur, illico inardescit; ita enim eveniat necesse est, si verus est filius.

men, ut in hoc certamen descenderet. Illud et dabimus laudi Petrarchae, quod e Graecis philosophis Platonem, e Latinis Ciceronem omnibus anteposuerit, qui si audirentur, se non dubitare aiebat, quin exsibilarentur multi minuti philosophi, qui ab Arabibus nil aliud didicerant nisi falsas opiniones, errores turbulentos, et superstitiones pene aniles. Porro si quis eius ingenium et eloquentiam admirans ex eo quaesiisset, qua maxime arte confideret, potuisset ut Pythagoras Leonti respondere, se esse philosophum; nam non facile illa aetate invenisses qui eo magis nosceret rerum divinarum atque humanarum caussas atque naturam, omnemque bene vivendi ac gubernandae reipublicae rationem teneret atque persequeretur. Referti sunt omnes eius libri saluberrimis praeceptis ad eum vitae statum servandum, quem neque cupiditatum aestus, neque fortunae temeritas, neque inimicorum iniuria possent labefactare, postremo autem, ut rem gratam faceret Francisco Carrariensi, opus

exaravit *de Republica optime administranda,* in quo si pervulgata praecepta de captando subditorum populorum amore, de superbia, fastidio, arrogantia fugienda, de honorandis hominibus virtute et doctrina praeditis, de emendandis malis civitatum moribus tum legibus tum exemplo, quod sit optimi principis non animis solum sed etiam oculis servire civium, decantasse tibi videbitur, id saeculo mentis vitaeque tranquillae inimicissimo omnisque praeclarae artis ignaro tribues, cui vel ea quae sunt in medio posita inculcare, magnae prudentiae utilitatisque esse videbatur.

XXXIV.

In eo quoque laudabis Petrarcham, quod cum soleret (nimis abundanter quidem) dictis et exemplis ex Graeca et Romana praesertim antiquitate sumptis sententias suas confirmare, tantam eruditionis vim sibi comparaverit, ut omne antiquitatis ipsius iter novisse videatur. Ex quo fiebat, ut diligentissimus esset non

modo in acquirendis manu scriptis codicibus, sed etiam numismatibus atque inscriptionibus, quibus uteretur ad conciliandas dissidentes inter se scriptorum opiniones. His quoque subsidiis geographiam provehere studuit, cuius rei monumentum extat in epistola quadam ad Thomam Messanensem, vel si mavis ad Ricardum Burium, cuius alibi mentionem fecimus, de Thyles insulae situ, quo in loco ait se incensum adeo cupiditate fuisse terrarum situs et naturas noscendi, ut *Britanniam, Hiberniam cunctasque Orcadas in Occidentali Oceano ad Aquilonem, inque eodem Fortunatas insulas ad Austrum, partim usu, partim assiduo commeantium testimonio non minus quam ipsam Italiam aut Gallias notas haberet.* Huius Petrarchae studii indicia quoque esse poterunt et quam alibi commemoravimus, *de Itinerario Syriaco* epistola, et curae quas una cum Roberto Neapolitanorum Rege adhibuit, ut universa Italia describeretur, cuius descriptionis Flavius Blondus mentionem fecit. Prorsus

voluisset Petrarcha omnes homines suos Romanos (1), ac Principes praesertim, studio antiquitatis inflammare, cui quidquid sciebat, quidque litteris mandaverat se debere profitebatur. Et sane quod tempus fuit aut nostra aut patrum maiorumque nostrorum memoria, quo istud non cultum fuerit studium, per quod non solum Italia, sed et Gallia, omnique cultiori natione barbaries expulsa est? Vel in ea, in qua nunc versamur, luce tum humaniores litterae, liberalioresque artes, tum eae, quibus praesertim aetas nostra gloriatur, graviores disciplinae, quibus proposita est naturae et civilium officiorum et iurium humanorum investigatio, non parum de dignitate sua amitterent, si in honore esse desinerent antiquitatis monumenta. Haec

(1) *Vid.* Hortat. ad Nicolaum Laurent. vol. I. Oper. p. 596 et Famil. lib. VI. Ep. 11. *Cetera inter haec dolenter ait:* Qui hodie magis ignari rerum Romanarum sunt quam Romani cives? Invitus dico, nusquam minus Roma cognoscitur quam Romae, qua in re non ignorantiam solum fleo (quanquam quid ignorantia peius est?), sed virtutum fugam exiliumque multarum.

inquirenti in omnibus regionibus, atque in latebris praesertim monasteriorum, favit fortuna, faverunt et amici, seque superasse Crassum divitiis putavit, cum Veronae invenisset Ciceronis epistolas ad familiares, Leodii binas orationes, et quo loco nescio eiusdem de Gloria librum, quem commodatum Convenevolo praeceptori magno cum sui dolore recuperare amplius non potuit, et a Lapo a Castilionchio harum rerum inquisitori diligentissimo obtinuisset codicem omnium ipsius Ciceronis orationum, et M. Fabii Quintiliani Institutiones Oratorias. Quid non egit, ut amissos Varronis (1), Livii, Plinii aliorumque veterum Romanorum libros inveniret, utque quos invenerat illustraret, mendis librariorum purgaret, asservaretque non sui modo, sed et, si fieri potuisset,

(1) *Huius libros de humanis et divinis rebus se, dum erat in pueritia, vidisse et frustra postea quaesiisse testatur*. Senil. Lib. III. Ep. IX. *Quod ad Livii Decades pertinet, tres tantummodo illa aetate extabant, prima, tertia et quarta, nullique labori pepercit Petrarcha, ut secundam saltem inveniret.*

omnis posteritatis commodo? Is sua manu totum exscripsit Terentium, omnesque Ciceronis epistolas atque orationes, harumque nonnullas tum sua sponte, tum suasu Summi Pontificis Clementis VI brevibus commentariis illustravit (1). Hunc enim praesertim admirabatur, atque in sinu, ut ita dicam, gestabat; qua de re cum scriberet ad Franciscum Carrariensem, sibi gratulari dixit, quod M. Bruti ad Ciceronem epistolam ab oblivionis iniuria vindicasset, eique legendam dedisset, ut ab illa disceret, nulli vendendam esse fidem et libertatem, vitam prius quam dignitatem et virtutem dimittendam, ab constantia et aequabilitate laudem quaerendam, excubandumque civitatum rectori, ut praesentia mala prohibeat, et futura exploret, ne se insinuent. Equidem non dubito, quin si Petrarcha iisdem, quibus Brutus, vixis-

---

(1) Famil. Lib. VII. Ep. IV. *Ex eius epistola ad Lucam a Penna, quae est* I Lib. XV Sen. *intelligi potest quot impenderit labores atque pecunias in quaerenda et comparanda sibi Ciceronis opera.*

set temporibus, fortem adeo et liberum prae se tulisset animum, ut non secus ac ille de se dicere potuisset: *certe non succumbam succumbentibus, nec vincar ab iis qui se vinci volunt, experiarque et tentabo omnia, neque desistam abstrahere a servitio civitatem nostram*. Omni enim ex parte eius scripta hoc libertatis studium spirant, quo elatus maxime se dolere dixit (1) quod ille suus Cicero, *quem inter omnes scriptores gentium mirabatur ac diligebat*, minime veritus esset assentationibus Iulii Caesaris benevolentiam colligere; se quidem talem semper fore spondens, ut tum in laudando, tum in reprehendendo nunquam a veritate discederet.

XXXV.

Sed ut redeat, unde digressa est oratio, magnam profecto laudem tribues Petrarchae, quod per eum non solum latinae litterae sed etiam graecae restitutae

(1) *Initio libri* de Rep. optime administranda.

fuerint. *Quotiens,* ait ipse [1], *pecuniam misi non per Italiam modo, ubi eram notior, sed per Gallias atque Germaniam et usque ad Hispanias atque Britanniam! Dicam quod mireris, et in Graeciam misi, et unde Ciceronem expectabam, habui Homerum, quique Graecus ad me venit, mea ope et impensa factus est Latinus, nunc et inter Latinos volens mecum habitat.* Gloriabatur quoque se sexdecim et amplius libros Platonis habere, ex iisque aliquot Latinam in linguam conversos, nec ulli impensae ac diligentiae pepercisse, ut Hesiodi quoque poemata, et Euripidis ac Sophoclis tragoedias, aliosque huiusmodi libros Italis suis prorsus incognitos obtineret. Vsus praesertim in interpretando Homero opera videtur Leontii Pilati Calabri, quem Venetiis novit, et quocum per annum et amplius familiarissime vixit. Retinere apud se optasset doctum hominem, per quem Graecae linguae studium iamdiu in-

(1) Sen. Lib. XV. Ep. 1.

termissum renovare, et ad Graecorum poetarum, qui alia quadam lingua locuti esse videntur, penetrare sensum potuerat; sed obstitit eius inconstantia et levitas, addam etiam arrogantia, cumque Byzantium rediisset, non tanti fuerunt illius merita, ut Petrarcha adduci potuerit, quemadmodum vehementer rogabatur, ad illum revocandum. Itineri tamen se commisit, cumque Adriaticum mare iam attigisset, fulmine ictus an. MCCCLXV vitam amisit. Hoc de casu cum scriberet Franciscus ad Ioannem Boccatium, qui ipsum Leontium praeceptorem habuerat, ea de huius moribus tetigit, ut nihil illo miserius, sua magis quam fortunae culpa, fuisse videatur. Bene enim dictum: suam cuique mores fingunt fortunam. Studia Petrarchae erga litteras grandi foenore et fructuosa ferebantur, quia commonstrabant viam, per quam quilibet eo pervenire posset, unde omnis praeclarae artis scientia dimanat. Si fieri potuisset, vel plures se animos habere voluisset, quos omnes intenderet ad homi-

nes e tenebris in lucem vocandos. Atque hi labores omnisque eius vitae ratio cum latissime dimanasset ad aestimationem hominum iudicio et commendatione eorum qui sapientiores habebantur, plurimum consulebatur de litteris, de republica, de omni officio, munere atque opere, cunctique eius exquirebant amicitiam. Minime defuerunt, qui eius noscendi et alloquendi caussa longa susceperunt itinera (1), vel ipsae feminae carminibus illum provocabant (2), insistebantque importune poetae, qui sua, vel aliena carmina in aulis Principum recitando vitam sustentabant. Si sua opera, quam nemini denegabat, aliquem ex paupere divitem factum vidisset,

---

(1) *Digna sunt quae legantur ab ipso Petrarcha narrata de coeco quodam Pontremulensi grammatico qui multos labores, multaque pericula perpessus est, ut eum alloqui posset.* Sen. Lib. XV. Ep. VII.

(2) *Ex his Iustina Levis Perotta ad eum misit carmen, cuius erat initium*

Io vorrei pur drizzar queste mie piume,

ipse vero par pari reddidit illo carmine, quod incipit

La gola, e 'l sonno e l' oziose piume.

si alicuius commodis utilitatique serviisset, si se ex animo amari intellexisset, gaudio perfundebatur, id maxime proprium hominis esse asseverans, ut dictis factisque probet, se natum esse ad societatem communitatemque generis humani.

XXXVI.

Huius laudis illustre sane et nunquam interiturum reliquit monumentum suis in epistolis, quas in Familiares, Seniles, Poeticas, et sine nomine vel sine titulo ipse divisit (1). Habes in his non solum ad vivum expressam imaginem vitae morumque Petrarchae, sed etiam omnem fere historiam contextam temporum, quibus vixit, hominumque, cum quibus aut de litteris aut de Republica commercium habuit. Fama, cohortationesque amicorum ab illo obtinuerunt, ut de iis colligendis ordinan-

(1) *Ex praefatione in Epistolas Familiares intelligimus, ipsum multa huiusmodi scripta flammis damnasse, nec mediocres suscepisse labores, ut quae supererant, colligeret atque in ordinem referret.*

disque cogitaret, utque omnes intelligerent nihil in iis inesse falsum, fictum et simulatum, sua ipsa vitia palam facere minime dubitavit. Itaque, si voles, in eo reprehendes, quod interdum se magnifice iactaverit atque ostentaverit, quod tantum non impertiverit Danti laudis, quantum par erat ad vitandam invidiae reprehensionem, quod in frequenti domiciliorum mutatione inconstantiam quamdam prae se tulerit, quod in castigandis hominum stultitiis atque ineptiis stomacho saepe iracundiaque vehementius efferbuerit, quod studia cupiditatesque honorum, qui a Pontificibus Romanis dari poterant, senex aluerit (1), quod adolescens meliora proba-

(1) *Queri praesertim videtur de Vrbano V, quod de se deque sua gloria minime cogitaret. De Clemente quidem haec in epistola ad Franciscum Brunum memoriae mandavit.* Cum sui gratia officium, quod tu nunc industrie geris *(Secretarii videlicet Pontificii)*, mihi obtulisset, quod, me nolente, tunc habuit magister Franciscus de Neapoli, et deinde me saepe, licet indignum, Episcopum facere voluisset, et ego, indignantibus dominis et amicis, continue recusassem, ultimo mihi dixit: Pete quod vis, et faciam tibi.

verit, et deteriora secutus fuerit; nihilo tamen minus tantam virtutis, doctrinae humanitatisque vim in Petrarcha fuisse fateberis, ut, etiam si illa aetate cum eo multi contenderent, omnes his laudibus superare facile posset. Ex his ipsis litteris intelliges quanti animi fuerit barbarae inscitiae ac superstitioni resistere, tyrannos, qui diu civitates servitute oppressas tenebant, insectari, pacem Rebuspublicis procurare; miseris illis et luctuosis temporibus non modo Italiae, sed etiam Galliae et Germaniae subvenire, omnibusque lumen ingenii consiliique sui ostendere. Quo liberiorem scribendi materiem haberet, ad vitam, ut ita dicam, revocavit Varronem, Ciceronem, Livium, Senecam aliosque antiquitatis illustres homines, omnium laudans ingenium, et quorumdam, sicuti Ciceronis et Senecae, vitia reprehendens. Profecto nil tam indigne ferebat Petrarcha, quam si facta a dictis discreparent, et hic virtutis semper laudator, semper auctor, dum eos effere-

bat in caelum, quorum vita perspecta in rebus honestis atque magnis erat, quique bene de Rep. sentientes ac bene meriti vel merentes aliquo honore aut imperio affecti erant, aspere insectabatur eos, qui se hominum vitiis atque erroribus implicuerant. Dolebat maxime, quod ex iis, a quibus petenda erant virtutum exempla, alii essent ad omnes cupiditates, et ad ambitionem atque avaritiam praesertim propensi, alii uno minus vitio vitiosi, quod essent inertes, somni pleni, imperiti, cuius sui doloris extare monumentum voluit. Nam, ut ait Philippus Villanius, *quia ambitionis et avaritiae fuit mordacissimus insectator, collegit ex omnibus epistolis, omissis recipientium nominibus, quasdam epistolas integras, quarumdam vero particulas, in quibus praecipue contra clericos aliquos invexerat, et ea omnia in volumen unum, praemisso prooemio, compilavit, cui libro titulus est sine nomine.* Fecit profecto, ut boni omnes aequitatem illius, temperantiam, severitatem, integritatemque lauda-

rent, iudicarentque nihil esse, quod ad laudem ac verum attineat, quod is non optime propter summam prudentiam cum magno rerum usu coniunctam perspexerit, eique non, sine cuiusquam hortatione, in mentem quotidie veniret. Haec ipsa respiciens Summus Pontifex Gregorius XI *praeclarum moralis scientiae lumen* appellare Petrarcham minime dubitavit iis in litteris (1), quibus Guillelmo Novelletto Legato mandatum dedit de omnibus illius scriptis colligendis, ad se seque Avenionem mittendis, quasi doleret, illo extincto, unde disceretur, fore neminem. Ex epistolis Petrarchae hunc quoque fructum capere possumus, quod multos in laude positos

(1) *Vulgavit has Caietanus Marinius in Volumine II p.* 21 *operis, quod inscripsit* degli Archiatri Pontificii. *Hoc testimonio aliisque multis probari potest minime calumniae reprehensionem effugisse Fleurium ob ea quae de Petrarcha protulit in libro XCVII Historiae Ecclesiasticae, quae cum abhorreant a litteris, ab humanitate, tum vero contraria sunt naturae hominis, qui totum animum, curam, cogitationemque suam posuit in omnium laude undique colligenda atque promerenda.*

admirabimur, quos, nisi testimonio illius cogniti essent, vetustas, ut alios forte plures, oblivione obruisset. Praeter epistolas soluta oratione, plures quoque versibus exaratas reliquit, quarum alibi mentionem fecimus. Dum vero in his omnibus laudaveris scriptoris ardens ingenium, magnam rerum cognitionem, antiquitatis notitiam prorsus miram, nec mediorcem eloquentiae vim, nam, ut ait Erasmus, ornamenta illa innumerabilia, quae dicendi magistro, a quo philosophia abesse nequit, et necessaria et propria sunt, illi cumulate adfuerunt, fortasse desideraveris pressam magis orationem, et scriptorum aureae aetatis elegantia tinctam, quod ab eo praesertim exigi posse videbatur, qui gloriosum in se onus receperat Latinam linguam ab situ et squalore, in quo diu iacuerat, ad splendorem revocandi, quique omnis elegantiae locupletissimum auctorem Ciceronem se nunquam e manibus deponere et in sinu gestare gloriabatur. Quare mea quidem sententia maiorem sibi fa-

mam comparasset, si non contentus ornamentis, quae suis carminibus attulerat patriae linguae, ab eo vel a prima aetate cultae (1), huic non sic praetulisset Latinam, ut illam prorsus colere destiterit (2). Sed fortasse dixerit quispiam necesse fuisse Petrarchae Latii sermone uti suis in epistolis aliisque scriptis, ut ad omnes dimanarent quae ipse docebat atque monebat. Nam, ut alibi diximus, is non modo in luce erat et in oculis Italiae, sed etiam omnis fere Europae, et tanquam aliquam viam longam confecisset, qua ceteris quoque ingrediendum esset, istuc, quo pervenerat, videre quale esset, vehementer ex-

(1) *Per hanc ad amicitiam accessit Lombariensis Episcopi, qui plurimum delectabatur, ut ipse ait,* meo vulgari stilo, in quo tunc iuveniliter multus eram.

(2) Mens fuit aliquando (*ait ipse* Sen. L. V. Ep. III.) totum huic vulgari studio tempus dare, quod uterque stilus, altior Latinus, eo usque priscis ingeniis cultus esset, ut pene iam nihil nostra ope vel cuiuslibet addi possit, et hic modo inventus, adhuc recens, vastatoribus crebris, ac raro squalidus colono magni se vel ornamenti capacem ostenderet, vel augmenti. *Dolendum sane plurimum, quod ab illa mente discesserit.*

petebatur. Neque unquam in suo studio homines iuvandi cessavit, dumque rectoribus civitatum, et litterarum cultoribus praescribebat quae essent gerenda, et quomodo, poterat sane gloriari se semina spargere, quae alteri quoque prodessent saeculo. Docuit homines, ne deciperentur titulis librorum, ac prudenter sane, prout ferebant tempora illa, disseruit de quibusdam operibus, quae falso tribuebantur Aristoteli, Ovidio, Senecae, Origeni, et SS. Ambrosio atque Augustino (1). Est etiam in manibus epistola, qua Carolo IV Caesari responsum dedit de diplomate quodam, per quod contendebatur, Iulium et Neronem Caesares Austriam ab Romani Imperii iurisdictione exemisse, quo in diplomate quot essent falsitatis notae intelligenter sane ostendit, quod eo mirabilius debet videri, quia illa aetate nulla exta-

(1) Senil. Lib. II. Ep. IV. *Exemplum quoque eruditionis et critices Petrarchae esse potest alia eiusdem epistola, qua probat Didonem tribus saeculis serius Aenea vixisse.* Sen. L. IV. Ep. IV.

bant critices et diplomaticae, ut aiunt, scientiae vestigia. *Memineris, Caesar,* (his ferme verbis clausit epistolam suam) *ut bellorum et iustitiae, sic linguae et ingenii laudes dignitatis tuae proprias esse, sicque vive, ut mentiri tibi tui nolint, hostes metuant.* Dum eos vero insectabatur, qui falsas merces venditabant, querebatur etiam de sui saeculi inscitia atque ignavia, quod perpauci et illitteratissimi essent librarii, usque eo ut complures annos frustra petierit exscribi opus suum *de vita solitaria,* quod ipse paucis mensibus exaraverat. Malebat tamen librarii mendum quam mendacium scriptoris esse, in quibus corrigendis atque detegendis multam porro et utilem operam impendit.

XXXVII.

Postquam satis, ut arbitramur, de Petrarchae epistolis, deque ceteris eius scriptis diximus, superest, ut extremum eius vitae cursum exponamus; ex quo intelli-

gatur, ab homine, cuius sapientiam omnes admirabantur, et a quo ceterae partes aetatis bene descriptae fuerant, extremum actum, tanquam ab inerti poeta, minime neglectum fuisse. Ex quo mortem obierat Azzus Corrigiensis (obiisse autem videtur anno MCCCLXVII), quocum omnia communia habebat, quemque habuerat vel in prospera fortuna multorum itinerum comitem, locum quietis et tranquillitatis plenissimum sibi fore speravit Patavium urbem, in qua sic honorabatur ab eius domino Francisco Carrariensi, ut maiora a parente expectare minime potuerit. Quia vero eximium ac singulare suum studium professus ac pollicitus erat Galeatio Vicecomiti, hunc aestate Ticini convenire solebat, eique consilia dabat, quae non solum aestimationibus ac iudiciis hominum, qui tunc erant, sed iis etiam qui erant futuri, responderent. Quare qui de illius praeclaris laudibus (et fuit ille quidem iustitiae, religionis et litterarum patronus, custos, et propagator eximius) scripserunt,

eiusdem factorum gloriam cum laude Petrarchae coniunxerunt. Erat hic Mediolani an. MCCCLXVIII quando magnificentissimo apparatu celebratae nuptiae fuerunt Violantis eiusdem Galeatii filiae cum Leonello Clarentiae Duce, Britannorum Regis filio, cumque variae extructae fuissent mensae, iussus Petrarcha fuit illi considere, quam Sponsi ceterique Principes decorabant. Neque minus officia sua praestitit Bernabò Galeatii ipsius fratri, cui cum magna impenderet procella ira Summi Pontificis excitata, qui non solum potentiam, sed etiam, si fieri potuisset, nomen Vicecomitum delere optasset, hanc a se avertere posse speravit, si Petrarcha onus in se recepisset agendi de concordia cum Anglico Grimoardo Cardinali Vrbani V fratre. Quanquam in illius periculis magnum adhibuerit studium, nihil tamen ab homine, quocum iamdiu amicitia iunctus erat, impetrare tum potuit, honoratusque et incolumis, quod vix fieri posse videbatur, cum omnes viae oppletae es-

sent praedonibus armatis (1), Patavium rediit. Quae autem ipsi dedit consilia, eo referebantur, ut haec et omnia, quae homini accidere possunt, patienter ferret, seque contra omnis fortunae impetus sic armaret, ut id unum in malis numeraret, a quo minime culpa aberat. Fuit quoque Petrarchae magno honori, quod iisdem temporibus ab homine pacis et belli artibus clarissimo Pandulpho Malatesta Pisauri aliarumque urbium domino liberalissimis promissis invitatus fuerit, ut apud eum esse vellet. Caussas tanti desiderii nemo non noverat: nam ad merita consuetudo iucundissima accesserat illo tempore quo Mediolani fuerat Pandulphus, ut nullo prorsus plus homine delectari videretur. Huius amori tantum confidebat, ut

(1) *Mentionem ipse fecit humanitatis, qua in se usi sunt praedones ipsi, statim ac noverunt quis esset.* Sen. Lib. XI. Ep. 11. *Cetera inter haec narrat.* Vbi omnes capti vel occisi, et certe spoliati omnes essent, ego vino, et altilibus, et pomis, et speciebus sic onustam puppim habui, ut non ferocitas quidem ulla, sed liberalitas bellatorum meum illud iter pacificum retardaret.

cum illo in loco in morbum incidisset, huic levamen quaesierit in ipsa Petrarchae domo, ad quam aeger delatus est. Multa sunt alia testimonia eius singularis benevolentiae in Petrarcham, quaeque hic gratissimo animo memoriae prodidit [1]; at nullo modo adduci potuit, ut eius desiderio Patavium deserendi satisfaceret. Nam qui huic urbi dominabatur Franciscus Carrariensis nemini in amando colendoque Petrarcha concedebat. Si ulla res est, quae vehementius possit animos hominum inflammare, est profecto consentiens laus bonorum, et incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute, cumque nullus ex Italicis Regulis esset, qui non ma-

(1) Sen. Lib. I. Ep. v. *Rogatus ab eo, ut ad se mittere vellet volumen carminum Italicorum, praefationis fortasse loco, ut est Castelvetrii opinio, carmen illud exaravit, cuius est initium :*

Voi, ch' ascoltate in rime sparse il suono:

Nam huius sententiae consonant cum iis, quae ad ipsum Malatestam scripsit. Sen. Lib. XIII. Ep. x, *quae sane epistola est illustre eius senilis gravitatis monumentum.*

gnopere cuperet apud se habere Petrarcham, poterat quidem gloriari nusquam se fore peregrinum et advenam. Non potuit quoque ei non summe esse iucundum iudicium Reip. Florentinae, quae, datis litteris ad Romanum Pontificem (1), ab eo vehementer petiit, ut ipsum Florentino et Fesulano, ut aiunt, canonicatibus decoraret, quo beneficio ad patriam repetendam allici posse sperabat. Sed haec modice illum tangebant. Romam fortasse cogitasset, nisi impedivisset quaedam huic urbi

(1) Sanctissime Pater et Domine: Insignem virum multa scientia, meritis et virtutibus praeclarum D. Franciscum Petrarchi honorabilem civem Florentinum, et iamdiu exterarum partium incolam, pro honore civitatis nostrae ad patriam reducere cupientes, pro eo Sanctitatis Apostolicae munificentiam et gratiam invocantes, eidem devotissime supplicamus, quatenus suarum eximiarum virtutum attentis studiis operosis, quibus a iuventute floruit, et magnae laudis praeconio sublimatur, dignemini, ut ad redeundum ad civitatem nostram affectuosius disponatur sibi de Florentino et Faesulano Canonicatibus, ut cum honore ibidem valeat residere, de gratia providere facientes, ipsum nostrae devotionis intuitu praeferendum esse ceteris aliis Canonicis expectantibus in Ecclesiis antedictis etc. Datum Florentiae die 8. Aprilis 1365.

fortuna fatalis, ut neque libertatem neque dignitatem, longe absentibus Romanis Pontificibus, recuperare posset; nec praevideri tum poterat fore, ut Gregorius XI, qui Vrbano V an. MCCCLXX successerat, Italorum desideria tandem esset expleturus. Noverat hic quae essent hac de re consilia Petrarchae, eius prudentiae plurimum tribuebat, et omnia se eius caussa velle litteris humanissimis declaraverat. Sed erant apud eum homines, qui de sua magis fortuna atque potentia quam de alterius commodis laborabant, quasque dedit Petrarcha litterae ad amicissimum suum Franciscum Brunum (1), qui erat Pontifici ipsi ab epistolis, declarant quidem se venisse in spem melioris fortunae, sed hanc abiecisse, sic ut sorte illa contentus esse cogeretur, qua tum fruebatur. Neque haec hominis mediocriter abundantis fuisse videtur. Ait enim: *Habeo hic praebendam, quae mihi panem et vinum dat non solum*

(1) Var. Ep. XLIII.

ad utendum, sed etiam ad vendendum. Residentia mihi aliquid valeret, sed ego urbes, uti ergastula fugio, et magis eligo solitario in rure, si oporteat, esurire, quam in urbibus abundare, quamvis nulla fuga, nullae me latebrae a concursu protegant: habeo famulos, sine quibus utinam vivere possem aut scirem; habeo equos, quando pauciores, duos saltem... soleo habere scriptores quinque vel sex, habeo tres ad praesens, et ne plures habeam causa est, quia non inveniuntur scriptores, sed pictores, utinam non inepti. Habeo unum presbyterum venerabilem virum, qui dum in Ecclesia sum assiduus, mecum est, cum quo saepe, ubi solus, prandere disposui, ecce subito e transverso convivarum acies, vel cibo pascenda, vel fabulis; vitari enim prorsus nequit, ne vel superbior appaream, vel avarior quam sum ... Cupio praeterea, et dispono, Deo dante, non templum Marti, quantum nusquam esset, ut Iulius Caesar, sed unum hic parvum Oratorium Beatae Virgini exstruere, iamque opus aggredior,

etiamsi deberem libellos meos pignorare, vel vendere. Ex his quidem intelligi potest conditionem talem fuisse Petrarchae, ut gloriae nihil, fortunae parum posset accedere, quam si augeri Pontificis beneficiis concupivit, nae ille parum moderati animi signum dedit. Eapropter Avenionem, quemadmodum invitabatur, proficisci deliberaverat, eodemque tempore Perusiam cogitabat, quo venerat Pontificis Legatus Cabassolius Cardinalis, quem omni tempore sui studiosissimum cognoverat. Sed ne haec exequeretur obstiterunt valetudinis incommoda. Corporis animique medicinam quaesivit eo in Euganeorum collium loco, qui Arquada dicitur, ubi parvam aedificavit domum, decoram tamen, ut ipse ait, et honestam, in qua vitam otiosam et quietam in litterarum gremio et in sinu filiae et generi traducere statuit. Ab hac tamen, quam tantopere adamabat, solitudine, se abstrahi passus est hominis caussa, de quo dicere solebat, nihil esse tantum quod illius caussa non de-

beret, facturusque non esset libenter ac studiose. Coactus enim Franciscus Carrariensis pacem a Venetis, a quibus infidelitatis accusabatur, suppliciter petere, et hac de caussa filium Venetias mittere, comitem huic Petrarcham dedit, in cuius gratia et eloquentia spem omnem concordiae reposuerat. Quae ipse dixit coram frequentissimo Senatu (miraberis sane pridie quam haec dixerit tam graviter exanimatum fuisse, ut institutam orationem abrumpere coactus fuerit) benignissime accepta fuerunt, sibique plurimum gratulatus est, quod maximo periculo liberaverit hominem, cui tantum debebat, ut illud ipsum pietatis nomen levius illius erga se meritis ipsi esse videretur.

XXXVIII.

Hoc confecto mandato rediit ad Arquadanum suum, in quo sapientiam ipsam domicilium posuisse dixisses. Legebat, scribebat, commentabatur semper aliquid, prorsus intentum animum, tanquam ar-

cum, habebat, ne languescens succumberet senectuti, quam sibi stipato studiis adolescentiae obrepere minime sentiebat. Nec corpori solum, aiebat, subveniendum est, sed menti atque animo multo magis: nam haec quoque nisi tanquam lumini oleum instilles, extinguuntur senectute (1). Cum vero ad eum saepe veniret Franciscus Carrariensis, modo aliquid de antiquitate ab ipso requirebat, modo aliquam quaestionem poeticam (et poesim quidem non solum amavit, sed etiam coluit) affe-

(1) *Extant litterae illius* (Sen. Lib. XIII. Ep. VII.) *ad Matthaeum Longum Archidiaconum Leodiensem, quibus eum de toto vitae suae statu certiorem facit. Cetera inter ait:* Lego, scribo, cogito, haec vita, haec delectatio mea est, quae mihi semper ab adolescentia mea fuit. Mirum tam iugi studio, tam pauca tanto in tempore didicisse. De reliquo autem nulli hominum invideo, nullum odi, et quod ante longissimum tempus scripsi, nullum despicio, nisi me, nunc multos despicio, primum me. Fuit igitur prima aetas mihi tumore atque errore iuvenili contemptrix omnium praeter se, media autem gravitate virili sui solius contemptrix, haec ultima libertate senili, et sui ipsius ante alios, et pene omnium, nisi quos virtus clara contemptui eximit; rarum genus.

rebat, interdum iocans moralia aenigmata, quae solveret, ei proponebat. Quod vero eum praecipue diligebat Io: Boccatius, huiusque litteris frequenter interpellabatur, non sibi grave ducebat illi ad omnia, quae quaerebat, rescribere. Quanquam multorum sermone celebraretur Boccatii ipsius, ut appellatur, Decaëmeron, non ante tamen hoc tempus ad manus Petrarchae pervenit, qui in eo praesertim laudavit pestis, quae an. MCCCXLVIII Florentiae grassata est, et Griselidae casuum narrationem. Adeo omnium patientissimae feminae sollicitudines atque angores illum tetigerunt, ut hanc fabulam Latinam in linguam converterit; et miror equidem, quia minime ignorare poterat per id plurimum de illius elegantia et lepore detractum iri. Haec erant oblectamenta solitudinis atque senescentis aetatis, quibus et addi posse videtur musices studium, quod vel ab adolescentia cultum nunquam intermisit. Digitis enim pulsabat illud organi genus, quod nos leutum dicimus. Il-

la vero potiora putabat, quae ad Dei cultum, eiusque opem implorandam pertinebant, in quibus tam diligens et assiduus erat, ut etiam multa de nocte evigilaret. Tenuissimo victu contentus plerumque herbis et pomis vescebatur, et vino prorsus abstinebat, quam ob rem plurimum reprehensus fuit a Ioanne Dondo medico illustri honoribus et nomine, qui fretus conscientia officii sui, benevolentiaeque a se certo iudicio susceptae, ad eum liberius scribebat quae saluti ipsius conducere arbitrabatur. Sed is in pristina vitae ratione permansit, cumque multo antea prospexisset sibi mortem impendere, postremo nuntium quodammodo amicis remisit, his verbis claudens epistolam ad Boccatium: *valete amici, valete epistolae*. Prorsus salutis certa spe sustentatus, in bonis ponebat vitae sibi finem adesse (1), cuius indicia esse potuerunt corporis languor, frequentes febres, quarum vi iden-

(1) Vid. Sen. Lib. VIII. Ep. II. et Lib. XV. Ep. V.

tidem opprimebatur adeo, ut vita carere crederetur. Postremo capite libris innixo mortuus inventus est, vel ut alii tradunt, subita vi vel apoplexiae vel epilepsiae morbi correptus inter brachia Lombardi a Seta expiravit (1). Accidit id XV Kal. Sextilis an. MCCCLXXIV, et nemo sane extitit, qui in morte tam misera et calamitosa litteris atque Italiae lacrymas te-

(1) *Philippus Villanius et Ianoctius Manettus id testantur, quorum sententiae consonant quae narrantur veteri in codice carminum Italorum Petrarchae, quaeque manu ipsius Lombardi exarata fuisse suspicatur Baldellius. Sunt autem haec:* Millesimo trecentesimo septuagesimo quarto, die martis, decimo octavo Iulii, hora quinta noctis, Arquadae inter montes Euganeos, duos dies et septuagesimum annum attingens, obiit celeberrimus et temporis sui sapientissimus omnium pater, praeceptor et dominus meus, dominus Franciscus Petrarcha, Vates, Historicus, Theologus, et Orator eximius, qui illud suum venerabile caput in summa Romani Capitolii arce maxima cum gloria et totius Romani populi consensu MCCCXLI die IX Aprilis sub examine singularissimi et illustrissimi viri Roberti Ierusalem et Siciliae Regis aetate sua peritissimi omnium, ac omni scientia decorati, merito laureatum, supra mea indigna pectora tenens, illam suam beatissimam animam in os meum ultimo efflavit anhelitu, mihi memorabile et aeternum flebile munus.

neret. Clerus omnis cum Episcopo, populus, ipseque Patavii dominus exequias honestarunt, et Bonaventura a Peraga magni nominis Augustinianus homo oratione mortui laudes celebravit. A generi pietate monumentum obtinuit, quod extat in pratulo propter Arquadae ecclesiam, quo in monumento haec sunt inscripta:

Frigida Francisci lapis hic tegit ossa
Petrarcae;
Suscipe, Virgo parens, animam, sate
Virgine, parce,
Fessaque iam terris caeli requiescat
in arce.

M . CCC . LXXIIII . XVIII . Iulii

Viro insigni Francisco Petrarcae Laureato Franciscus de Brossano Mediolanensis gener, individua conversatione, amore, propinquitate et successione, memoria. Auctor est Philippus Villanius Petrarcham ipsum illos dictasse versiculos, ac vetuisse se elogio decorari. Longum post tempus Paullus Valdezucchius, qui domum Petrarchae et bona eius Arquadana possidebat, ae-

neam illius imaginem in monumento illo posuit. Infinitus essem si eos omnes commemorare vellem, qui vel versu (1) vel prosa oratione mortem Petrarchae luxerunt. Eminuit ex his Boccatius, cuius extant litterae testes doloris sui et effusissimi studii, quo ferebatur in amicum, in patrem, in vitae magistrum (2). Quoniam, inter omnes constare videmus maximum illius interitu detrimentum accepisse litteras, fateamur constare illud etiam, Petrarcham Italorum suae aetatis primarium fuisse vi-

(1) *Ex iis, qui sacro Petrarchae cineri flores dederunt, nostra hac aetate, si quid iudico, superavit Dominicus Lazzarinius. Verius nihil dici potuit ab Amore ad eius tumulum sedente:*

. . . . E questa sacra tomba
Son tre secoli e più ch'io guardo e piango.

(2) *Vide has in praefatione ad Ambrosii Traversarii epistolas, cuius auctor est Leonardus Mehus. Grate professus est Boccatius cetera inter beneficia, quae a Petrarcha accepit, illud se in primis numerare, quod, ipso cohortatore, nuntium voluptatibus remisit. Quo in proposito ipsum confirmarunt, quae de ipso moriens praedixit Petrus Petronius Senensis, e Cartusianorum familia, vir sanctitate clarissimus; quorum mentionem fecit Petrarcha* Sen. Lib. I. Ep. IV.

rum, ex quo non solum humaniorum litterarum et omnis ingenuae disciplinae, sed etiam virtutum, quibus publica et privata felicitas comparatur, cultores petere praecepta et exempla potuissent.

TESTAMENTVM
FRANCISCI PETRARCHAE

DESVMTVM

EX COMMENTARIIS ALDI IVNIORIS

IN LIBRVM III. OFFIC.

M. TVLLII CICERONIS C. X.

Saepe de eo mecum cogitans, de quo nemo nimis, pauci satis cogitant, de novissimis scilicet ac de morte; quae cogitatio neque superflua esse potest neque nimium festina, cum et mors omnibus certa sit, et hora mortis incerta; utile et honestum credo, antequam me mors impediat; quia mors ipsa, quae per varios et ambiguos rerum casus semper nobis impendet, propter vitae brevitatem procul esse non potest; nunc, Dei gratia, dum corpore simul atque animo sanus sum, de me ipso ac de rebus meis testando disponere; quamvis (ut verum fatear) tam parvae res sunt meae, ut de ipsis quodam modo pudeat me testari: sed divitum atque inopum curae de rebus (licet imparibus) pares sunt. Volo igitur hanc meam voluntatem

ordinare, ac scriptis committere, et propter quamdam honestatem, et ob id maxime, ne de huiusmodi rebulis meis, propter meam incuriositatem, post meum obitum litigetur. In primis animam meam peccatricem, sed Divinam misericordiam implorantem et de illa sperantem, recommendo humiliter IESV Christo: eique, flexis ipsius animae genibus, ut a se creatam suique sanctissimi sanguinis pretio redemtam protegat, affisus supplico, nec permittat ad suorum manus hostium pervenire. Ad hoc etiam auxilium beatissimae Virginis Matris suae, et beati Michaëlis Archangeli, reverenter ac fidenter imploro, et Sanctorum reliquorum quos intercessores apud Christum invocare sum solitus ac sperare. Corpus autem hoc terrenum ac mortale, nobilium gravem sarcinam animorum, terrae, unde origo est sibi, volo restitui. Et hoc absque omni pompa, sed cum summa humilitate et abiectione, quanta esse potest. De quo heredem meum et amicos omnes rogo, obsecro, et obtestor, et adiuro per viscera misericordiae Dei nostri, et per caritatem, si quam ad me umquam habuerint; neque falsi spe honoris hoc negligant. Cum sic omnino me deceat, ac sic velim: ita ut, si forte (quod absit) contrafecerint, teneantur Deo et mihi de gravi utriusque offensa in diem Iudicii respondere. Et haec quidem de domo sepulturae; hoc addito, quod ne-

mo me fleat, nemo mihi lacrimas, sed pro me Christo preces, et qui potest, Christi pauperibus caritatem, pro me orare monitis, porrigat; hoc mihi prodesse poterit: fletus autem et defunctis inutilis, et flentibus est damnosus. De loco autem non magnopere curo. Contentor poni ubicumque Deo placuerit, et iis qui hanc curam suscipere dignabuntur. Si tamen expressius mea de hoc voluntas exquiratur; sepeliri velim, si Paduae, ubi nunc sum, moriar, in ecclesia S. Augustini, quam Fratres Praedicatores tenent: quia et locus animae meae gratus, et iacet illic is qui me plurimum dilexit, inque has terras piis precibus attraxit, praeclarissimae memoriae Iacobus de Carraria, tunc Paduae Dominus: si autem Arquadae, ubi ruralis habitatio mea est, diem clausero, et Deus mihi tantum concesserit, quod valde cupio, capellam ibi exiguam ad honorem beatissimae Virginis Mariae exstruere, illicque sepeliri eligo, alioquin inferius in aliquo loco honesto iuxta ecclesiam plebis. Sin Venetiis moriar, poni volo in loco S. Francisci de Vinea, illic ante ostium ecclesiae. Sin Mediolani, ante ecclesiam B. Ambrosii, iuxta primum introitum, qui civitatis muros aspicit. Si Papiae, in ecclesia S. Augustini, ubi Fratribus visum fuerit. Si autem Romae, in ecclesia S. Mariae Maioris, vel S. Petri, ubi erit opportunius, vel iuxta ecclesiam hanc vel illam, sicut Cano-

nicis placebit. Nominavi loca quibus per Italiam conversari soleo. Ac, si Parmae, in ecclesia maiori, ubi per multos annos Archidiaconus fui inutilis, et semper fere absens. Sin ubicumque terrarum alibi, in loco Fratrum Minorum, si sit ibi: sin minus, in quacumque alia ecclesia, quae vicinior fuerit loco mortis. Haec de sepulcro: plura fateor quam virum doctum deceat; ab indocto dicta sint. Nunc accedo ad dispositionem earum rerum quae vocantur bona hominis; cum potius saepe sint impedimenta animi. Et primo quidem huic S. Ecclesiae Paduanae, unde percepi et commoda et honores, ordinavi animo iampridem pusillum terrae emere, quod eidem testamento dimitterem, usque ad summam quinque mille et ducentarum librarum huius parvae monetae, vel plus, si plus possem: sed ad hanc usque summam habeo iam verbo licentiam a Magnifico Paduae Domino D. Francisco de Carraria, quam vel in vita mea, vel post obitum, quoties, seu quandocumque petita fuerit, daturum esse non dubito: sicut illum, cuius non actus modo, sed verba multam habeant in proposito firmitatem; huiusmodi autem terram hactenus, intervenientibus aliis expensis, emere non valui. Si ergo ipsam emero (ut spero), faciam in instrumento emtionis poni, quod ipsam teneo animo relinquendi Ecclesiae: et ex nunc ita facio; quamvis eiusdem

terrae situm non possim adhuc in scriptis inserere. Sin autem (quoniam nonnumquam piae voluntates, propter peccata hominum, deduci nequeant ad effectum) dictam terram emere vel propter impotentiam, vel propter negligentiam omisero, lego ipsi Ecclesiae Paduanae ducatos ducentos auri ad emendum aliquantulum terrae, ubi melius fieri poterit. De cuius proventibus perpetuum anniversarium animae meae fiat. Et ipsi Domino supplico, si tunc vivet (sicut cupio, et Deum precor, ut multos postea per annos laetus et felix vivat) vel si (quod Deus avertat) tunc ipse non viveret, precor alium quemcumque penes quem rei huius erit arbitrium, quatenus ob reverentiam B. Virginis et mei, licet indigni et pusilli hominis, respectum, concedat hoc fieri; et decretum super hoc suum favorabiliter interponat. Lego autem ecclesiae apud quam sepeliar ducatos viginti: aliis autem ecclesiis quatuor Ordinum Mendicantium (si ibi fuerint) ducatos quinque pro qualibet. Pauperibus Christi lego centum ducatos, distribuendos ut videbitur Presbytero Ioanni Abocheta, custodi Ecclesiae Paduanae: et hoc, si hic moriar: sin alibi, ad arbitrium praelati ecclesiae illius in qua reconditus fuero; ita tamen, ut de dicta quantitate nullus ultra singulos ducatos accipiat. Transeo ad dispositionem aliarum

rerum. Et praedicto igitur Magnifico Domino dimitto tabulam meam, sive iconam B. Virginis Mariae, operis Zotti, pictoris egregii, quae mihi ab amico meo Michaële Vannis de Florentia missa est. Cuius pulchritudinem ignorantes non intelligunt: magistri autem artis stupent. Hanc iconam ipsi Domino Magnifico meo lego, ut ipsa Virgo benedicta sibi sit propitia apud filium suum IESVM Christum. Amicis minoris status, scilicet carissimis mihi, libenter magna dimitterem, si facultas esset uberior: sed affectum librabunt. Magistro Donato de Prato Veteri, grammaticae praeceptori, nunc Venetiis habitanti, si quid mihi debet ex mutuo, quod quantum sit, nescio; sed utique parum est; remitto, et lego; nec volo, quod heredi hanc ob caussam ad aliquid teneatur. De equis meis, si quos habuero in tempore transitus mei, qui placuerint Bunzanello de Viguntia et Lumbardo a Serico, concivibus Paduanis, volo quod inter eos sortiantur, quis primum eligat, quis secundum. Et praeter hoc, dicto Lumbardo, qui rerum suarum curam deposuit, ut res meas ageret, obligatum me confiteor in centum et triginta quatuor ducatis auri, et solidis XVI, quos expendit in utilitatibus meis: et multo amplius: sed, facta ultimo inter nos omnium ratione, dictae quantitatis sibi debitor remansi: quam si ante accepe-

rit, (sicut spero cito facere) bene erit: alioquin volo, quod heres meus ante omnia sibi satisfacere teneatur: de quo debito chirographum meum habet, quod restituat heredi meo ipse Lumbardus. Item lego ipsi Lumbardo scyphum meum parvum rotundum argenteum et auratum, cum quo bibat aquam, quam libenter bibit, multo libentius quam vinum: Presbytero autem Ioanni Abocheta, custodi Ecclesiae nostrae, Breviarium meum magnum, quod Venetiis emi pro pretio librarum centum: ea tamen lege illud ei dimitto, ut post eius obitum remaneat in Sacristia Paduanae Ecclesiae ad obsequium perpetuum Presbyterorum, ut ipse Presbyter Ioannes, et alii orent (si eis placeat) Christum et B. Virginem pro me. D. Ioanni de Certaldo, seu Boccatio; verecunde admodum tanto viro tam modicum lego; quinquaginta florenos auri de Florentia, pro una veste hiemali, ad studium lucubrationesque nocturnas. Magistro Thomae Bambasiae de Ferraria lego Leutum meum bonum, ut eum sonet non pro vanitate saeculi fugacis, sed ad laudem Dei aeterni. Praedicti autem amici mei de parvitate huiusmodi legatorum non me accusent, sed fortunam; siquid est fortuna. Et propter hunc respectum distuli ad ultimum, quem primum esse decuit, magistrum Ioannem de Dundis, physicum, astronomorum

facile principem, dictum ab Horologio, propter illum admirandum Planetarii opus ab eo confectum, quod vulgus ignarum Horologium esse arbitratur. Cui lego quinquaginta ducatos auri pro emendo sibi unum parvum anulum digito gestàndum in memoriam mei. De facultatibus autem domesticis sic ordino. Bartholomaeo de Senis, qui dicitur Pancaldus, viginti ducatos, quos non ludat. Zilio de Florentia, domicello meo, supra salarium suum, siquid sibi debetur, viginti ducatos. Et, si haberem plures, aut alios plures paucioresve domicellos, supra salarium suum, pro quolibet florenos seu ducatos x, famulis duos, pro quolibet coco duos. Et, si isti, vel amici obiissent, vel domicelli, seu famuli obiissent priusquam moriar, quod eis legabam, volo, ut redeat ad heredem meum. Omnium sane bonorum meorum mobilium et immobilium, quae habeo et habiturus sum, ubicumque sunt vel erunt, universalem heredem instituo Franciscum de Brossano, filium q. d. Amicoli de Brossano, civem Mediolani, portae Vercellinae. Et ipsum rogo, non solum ut heredem, sed ut filium carissimum, ut pecuniam quamcumque, sive sit plurima, sive sit minima, (quia magna utique non erit) meis rebus invenerit, dividat in duas partes, et unam sibi habeat, alteram numeret cui scit me velle, et de ea fiat quod etiam me

velle scit. Duo, antequam finiam hanc scripturam, addenda sunt: unum, quod modicum illud terrae quod habeo ultra montes in comitatu Venusini, in villa seu castro Valclusae, dioecesis Cavaillonensis, quia sine dubio, eundo illuc vel etiam mittendo, quodammodo plus expenderetur quam res valeat: volo, quod sit Hospitalis dicti loci, et in usus pauperum Christi. Et, si forte hoc fieri non posset, impediente aliquo iure vel statuto, volo, quod sit Ioannis et Petri, fratrum, q. Raymundi de Raymundis, qui Moneta communiter dicebatur, et fuit obsequiosus et fidelis mihi valde. Et, si dicti fratres, vel eorum alter obiisset, volo, quod veniat ad filios vel nepotes, in memoriam dicti Monetae. Alterum, quod illud modicum quod habeo in bonis immobilibus in Padua vel territorio Paduano, vel in posterum habiturus sum, volo, quod sit heredis mei, ut cetera: sed hac lege, quod nec per se nec per alium horum aliquid alienari possit venditione, aut donatione, aut perpetua emphytheosi, aut quovis alio modo: nec etiam pignorari usque ad completos xx. annos, a die mei obitus computandos: quod pro utilitate ipsius heredis ordino; qui ignorantia rerum labi posset; quas cum plene noverit, puto non libenter alienabit. Sin autem forte, quia omnes sumus mortales, nec omnino ullus est ordo moriendi, dictus Franciscus de Brossa-

no (quod avertat Deus) ante me moriatur: tunc heres meus esto Lumbardus a Serico praedictus, qui plane animum meum novit: quem, ut in vita fidelissimum expertum, non minus fidelem spero post obitum. Haec iure testamenti aut alterius ultimae voluntatis, seu quocumque alio modo melius valitura conscripsi manu propria Paduae in domo Ecclesiae, quam habito, Anno Domini MCCCLXX Pridie nonas Aprilis. Et Nicolaum notarium, filium q. ser Bartholomaei, ac Nicolaum, filium ser Petri, notarios infrascriptos, rogavi, prout in eorum subscriptionibus infrascriptis continetur. Vnum addo, quod statim post transitum meum heres meus scribat super hoc fratri Gerardo Petrarcho, Monaco Carthusiensi, germano meo, qui est in conventu de Maternio prope Massiliam, ut det sibi optionem, utrum velit centum florenos auri, an singulis annis quinque, vel decem, sicut sibi placeat. Et, quod ipse elegerit, illud faciat.

Ego Franciscus Petrarcha scripsi: qui testamentum aliud fecissem, si essem dives, ut vulgus insanum putat.





